BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
152
G
83
NAP

II
31

11
C
31

JOHANNIS ALBERTI FABRICII,

DECAS DECADUM

sive

Plagiariorum & Pseudonymorum

CENTURIA,

accessit

Exercitatio

De

LEXICIS GRÆCIS,

eodem auctore.

LIPSIÆ,

Sumtibus hered. FRID. LANCKISCHII,

Halis Saxonum Literis SALFELDIANIS.

ANNO M DC LXXXIX.

15

AD LECTOREM.

NEcesse mihi esse video jam præfari, sed cum Enniano Neoptolemo paucis, nam omnino non placet. Tria itaqve verba accipe. Scripseram nescio qvo in loco centum plagiarios me collegisse, Eos hoc sive schediasmate sive libro exhibere Tibi volui. Ut vero de instituto meo aliqvid constet, fateor passim me nonnulla insperssisse de auctoribus, librorum editionibus &c. quæ ad tractationem de plagio exacte non pertinebant. Existimavi tamen legentibus non ingratissimam fore hanc varietatem, uti nec mihi scribenti fuit. Res enim tædii plena futura erat per tot folia nil nisi mera furta observata lege-

re. Quapropter & nullum obſervavi ordinem, & anonymos aliqvot ac Pſeudepigraphos inſerui, ita tamen, ut Plagiariorum centuriæ nihil quicquam inde detraheretur. Nam ſub uno numero interdum tres, quatuor, quinq; & plures plagii arguuntur, ut ducentos pæne furti literarii poſtulatos perſtrinxiſſe me experturus ſit, qui numerum inire volet. Qvosdam, quibus falſo plagium objectum fuiſſe obſervatum eſt, excuſavimus, ut de ipſorum ingenuitate conſtaret, & fama eorum ab intentato crimine liberaretur. Quibusdam ipſi pudorem impoſuimus, etiamſi major pars aliorum obſervationibus debeatur qvos diligenter allegatos Lector reperiet. Neq; vero putet quis, omnes me, qvos poteram, adduxiſſe, multo minus plenum plagiariorum catalogum texuiſſe. Ab omni ætate in omni genere ſcriptorum fuere qui qvod non parturiſſent pepe-

pepererunt. Pridem est qvod Lysias Athenienſis ſcripſit λόγον περὶ κλοπῆς βιβλίων uti ex Harpocratione cognoſcimus. Neque pauci ſunt qui poſt eum obiter id argumenti attigere. Noſtra ætate præter B. Thomaſium cujus librum de plagio, & Dn. Almelovenium cujus Syllabum plagiariorum habemus qvot ſunt qvi aliud agentes Fidentinos perſtrinxerunt, ut de Dan. Bartolo, Bartholino, Morhofio, Saldeno, Bailleto, Spizelio nihil dicam. Colomeſius in Galliâ Orientali ſexcenta furta notata ſibi eſſe teſtatus eſt, & auctor der Monatlichen Unterredungen/qui dicitur eſſe Dn. W. E. T. plagiarios quinquaginta ſupra ducentos præſto habere ſe ait. Quantum numerum à Cl. Placcio & aliis, qui idem hodie moliuntur, expectabimus? Quanqvam ſunt aliqvi, qvibus plagium tam late patet, ut ſi eos ſequi velimus, omnes quiqui unquam quic-

quam in literas miserunt, plagiariis accensere debeamus. Quibus Poëtæ illud occinendum erat:

Parcius ista viris tamen objicienda memento.

Non enim quivis qui exscribere aliquid dicitur, vel qui in singulis versibus auctores non allegat, plagiarius statim est. Unde B. Hieronymus libro 1. adversus Rufinum: Qvod est peccatum meum? Illud nimirum,„ qvod non eos, à quibus dicta sunt,„ nominarim. Superfluum erat. Verum„ hæc alias. Nunc de exercitatione de Lexicis Græcis quam catalogo plagiariorum subjeci, restat ut dicam. Eam prodire passus sum, qvod non occurreret alius, qui in Græcæ linguæ studiosorum usum paulo diligentius tractasset eam partem liberalis eruditionis. Deinde erant inter Lexicographos Græcos qvos vel pseudonymis vel plagii postulatis non incommode accenseri posse videbam

bam. Inſerui etiam elenchum auctorum à Phrynicho citatorum, uti in Plagiariis, ſcriptorum à Plinio Medico & Geoponicon collectore allegatorum indices exhibentur. Unum doleo, quod me abſente à typographo tot & in his tam fœdi errores irrepſerint, quorum pars qvidem cognobiles, pars autem ſenſum qvoque pervertentes lectorem offendunt, ut de nominum Propriorum depravatione & marginalibus loco ſæpe motis nihil dicam. Verùm iſta, quod olim dicebat Martialis,

Non mea culpa fuit, nocuit librarius illis.

Qvæ inter relegendum præcipua nobis ſeſe obtulerunt ad calcem notabuntur. Cæterum quale hominum odio excœcatorum de hoc ſtudio noſtro judicium fuerit, ὁ φεροντὶς ἱππουλείδῃ φασί. Fortaſſe non adeo improbabitur doctis quibusdam & bonis hominibus, ſi me, ut ait ille apud Satyricum, culpam emendare permiſerint.

Tanaquillus Faber lib. 2. Epistolarum
p. 349.

Non possum non vehementer dolere, cum *** Juvenem Gaussenum ab his, ab illis tam maligne tamque inhumane lacerari video. Vin' tu scire quæ causa has turbas faciat? Hæc nempe. Nimis præclare de illius indole olim judicavit Præceptor. Familiam & cognatos in hoc opido non habet; vetularum & otiosorum tribus non ambit, & qvod omnium gravissimum est & indignissimum, Juvenis est, mi Boherelle, non decrepitus senecio. Si vero illa Gaussenо adessent DEUS esset Gaussenus; vel si etiam sensu communi careret, vel si etiam infantissimus piscis esset. Nam ita pleriqve nostrorum hominum sunt, &c.

NOn ab re Pindarus in cujusvis operis initio πρόσωπον πλαυγὲς requisivit, qvod egregiè prorsus hâc vice observare mihi videor, dum veluti Owenus

A summo sumo Principe principium.

Primus itaqve, qvem in medium adducam, sit

I. LEO PHILOSOPHUS IMPERATOR.

Sextus hoc nomine Basilii Macedonis filius, quem ipse suum ἄκμηνον πατέρα appellat. Hujus Tactica à Leone Allatio plagii postulata jam ante nos Jacobus Thomasius observavit, nihilominus denuo de eo verba facere voluimus, quod & inventus sit, qvi Allatii verba transscripserit, & plura jam de Leone dicenda suppetant, denique excusandus nobis à plagio Imperator videatur. Latinam Tacticorum versionem Henrico VIII. Angliæ Regi inscripsit ediditqve Basileæ A. C. MDLIV. Johannes Checus Cantabrigiensis. Ad illam concinnandam usus est codice Gr. MS. Anglicano, qvem vidisse optat Johannes Meursius, qvi ex tribus MSS. Regis Angliæ, Palatino & Pistoriano lacunas sibi invicem supplentibus Græcum textum versioni adjecit, subjectisqve aliquibus notulis vulgavit Lugduni Batavorum A. MDCXII. Versionem in non paucis reprehendit Antonius Possevinus libro I. Bibliothecæ selectæ capite XXIV. ubi & qvædam loca ex antiqvissimis qvæ vocat MSS. profert, qvæ apud Meursium pag. LIX. & CCCCXVIII. &c. longe minus emendatè ac integre leguntur, unde colligitur Possevinum aliis, ac Meursius, Mstis usum fuisse. Sed & Bibliotheca illa selecta aliqvot ante editionem Meursianam annis prodierat,

qvam non viderit Meurſius oportet, nam ex eâ aliqvot qvæ dixi loca reſtituere ac ſupplere potuiſſet. Iſaacus qvoqve Caſaubonus qvi anteqvam Meurſius Leonem ederet, Æneam cum verſione notisqve doctiſſimis publicavit, aliqvoties græca verba allegat ex Leonis *de re militari*, ſeu, ut Poſſevinus vertit, *de apparatu Bellico* conſtitutionibus. Neqve unum hic Mstum vidiſſe ſe profitetur, refert enim quosdam Codices hanc inſcriptionem præ ſe ferre: Τῶν ἐν πολέμοις ταχτικῶν σύντομος παράδοσις. Alios autem eosqve optimos παρασκευὰς πολεμικὰς deſignari. Prioris generis titulus extat Wiennæ in Auguſtiſſimi Cæſaris Bibliothecâ codice Philoſophico CXIV. probæ notæ chartac. in folio; uti indicat Petrus Lambecius libro VII. de Bibliothecâ Vindobonenſi pag. CCXIII. qvod Mstum non mediocriter ab editione Meurſii differre teſtatur. Inſcriptio poſterioris generis & in Poſſevini Mstis fuit, & Lambecio teſte apparet in codice CXVI. chartac. mediocriter antiqvo in 8vo. ubi habetur πολεμικῶν παρασκευῶν διάταξις περὶ ἑφοδῶν ἀδοκήτων, qvæ in editis Leonis Tacticis eſt ſeptima decima conſtitutio. Ibidem duodevigeſima qvoqve ſed ſine lemmate comparet. Undevigeſima περὶ ναυμαχίας reperitur in codice Medico XXV. chartaceo bonæ notæ in 4to qvemadmodum idem refert libro VI de Bibliothecâ Cæſareâ pag. CXXI. Eam & in Vaticanâ extare memorat Gabriel Naudæus Bibliographiæ militaris pag. LXIII. *Leonis*, inquit, *conſtitutiones quadam & fragmenta etiam ex Naumachicis extant in Palatina, quæ Vaticanæ non ita pridem adjuncta fuit* * *ſed non puto qvicqvam in illis diverſum eſſe ab ejusdem Imperatoris Tacticis, quæ Meurſius in lucem protulit. Nam & in illis decima nona conſtitutio tota de navali prælio eſt.* Reliqvorum Codicum inſcriptiones, qvoniam principio carent, nullæ à Lambecio adduci potuerunt. Nam in codice philoſophico CXIII. chartac.

Prodiit cum Polybio Caſauboni Francofurt 1603. fol.

* gloriatur hâc de re Allatius vide tamen Morhofii Polyhiſt. p. 32. 66. 194.

in

in fol. & proœmium integrum & plus qvàm dimidia à fine pars deſideratur. Optimus etiam codex CXV. membranaceus in 4to paginis CCXLIX. conſtans & Scholiis Græcis marginalibus illuſtratus, quem Busbeqvius (ſeu, ut alibi Lambecius ſcribendum docet, Busbeekius) Poli comparavit, incipit à verbis proœmii editionis Meurſianæ pag. VII. *δι' αὐτῆς ἡ Ῥωμαίων πολιτεία ἐυμοίρησε.* Deſinens in verba pag. CCCLXIV. verſ. penult. *ᾗ γὰρ οἴδασιν ὡς ἐὰν μὴ σιφῶς. καταφάντες.* Hunc codicem non dubitat Lambecius Leonis ætate exaratũ fuiſſe, inviſum autem Meurſio & penitus incognitum, ex qvo ejus editio plurimis in locis qvorum unum in medium affert, corrigi perficiqve poſſit. Hæc qvod non plane protrita ſint de Mſtis Tacticorum Leonis codicibus præmittere viſum fuit, nunc de plagio ipſi imputato videamus. Allatii verba hæc ſunt notis ad Hexaemeron Euſtathii Sidetæ Antiochiæ Epiſcopi pag. VI. *Leo Imperator Onoſandri nomen à qvo multum profecerat ingrato ſemper obruit ſilentio in Tacticis niſi ſemel, cum ejus carpit ſententiam.* Naudæus, poſtqũam Checi Meurſiiqve operam Leoni navatam Philippi item Pigafetæ Italicam verſionem cum notis non contemnendis editam commemoraſſet, *Omnes verò*, inquit, *illæ conſtitutiones Tacticæ magnâ parte ſuccum ſuum traxerunt ex Onoſandri Strategico, cujus tamen auctoris nomen ingrato ſilentio bellus ille homo ſemper obruit, ita ut illius nullibi meminerit niſi ſemel; cum ejus carpere vellet ſententiam. Dignumque illud inſuper obſervatione mihi videtur, qvod hujus & Mauricii Imperatoris plerumque eadem aut parum diverſa ſunt verba, ut qvemadmodum Galenum ex Paulo* * *aut Aetio, ſic non difficile ſit alterum ejusmodi auctorum ex alio auctiorem facere.* Hæc Naudæus pag. LXXXII. dictæ Bibliographiæ qvam ex ejus Syntagmatis de ſtudio militari Romæ A. MDCXXXVIII. vulgavit libro II. pag. DIV. ſqq. avulſam ſeorſim ante hos ſex annos

Lugduni A. 1629. 4to.

* Æginetæ

vide Acta Eruditor. 83. p. 512.

nos Jenæ edidit Georgius Schubartus. Verùm à plagii crimine Leonem absolvere videntur, qvod non tantum in proœmio dicit, se in veterum recentiorumqve militaribus commentariis non perfunctorie versatum optima qvæqve ex iis delibasse, & ὡς ἄλλον πρόχειρον νόμον * Hypostrategis suis tradere voluisse, sed & p. cccxx. & ccccxxxii. fatetur in hôc libro ea se collegisse, qvæ ex veterum commentariis accedente mediocri experientia sua edoctus fuisset. Atqve si ab auctore sunt Scriptorum nomina, qvæ in codice illo membranaceo Busbeckii constitutionibus præfixa fuisse Lambecius testatur, longe magis à furto literario alienus nobis habebitur, qvi cum Plinio majore ingenuè per qvos profeciisset, voluerit indicare. Ait autem Lambecius majusculis literis adscripta se offendisse nomina ΑΡΡΙΑΝΟΥ, ΑΙΛΙΑΝΟΥ, ΠΕΛΟΠΟΣ, ΟΝΗΣΑΝΔΡΟΥ, ΜΗΝΑ (forte ΑΙΝΕΙΑ) ΠΟΛΥΑΙΝΟΥ, ΑΙΛΙΑΝΟΥ ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ. Ex quibus tres tantum in Tacticis Leonis allegatos reperio, Ælianum qvidem pag. LXII. XC. XCI. Arrianum pag. XC. Onesandrum pag. CCXV. Eqvidem pag. CCCCXXXI. citatur qvoq; πτολεμαίκ τακτικὴ κανὼν & πτερὰ βιβλίον. Aratus in phænomenis & Johannis Lydi diurna ac menstrua observatio. Sed non tanqvam iis ad Tactica concinnanda usus Imperator fuisset, sed qvod Astronomiæ studiosis hosce potissimum auctores commendandos arbitraretur. Cæterum alium hujus militaris argumenti librum à Leone scriptum fuisse rectè colligitur ex verbis pag. XXVII. Ἔξεστι δὲ καὶ τοῖς τε παρ' ἡμῶν ἰδίᾳ ἐκπεθείσαις γνώμαις ἐν τούτῳ τῷ συντάγματι καὶ τοῖς κατὰ πλάτος συνηθροισμέναις ἡμῖν ἐν τῇ παραλλήλῳ τῶν τακτικῶν μονοβίβλῳ τὴν ἐκεῖθεν τῶν ζητουμένων πλείονα καὶ ἀρκοῦσαν συναγαγεῖν ὠφέλειαν. Qvem etiam innui puto pag. CC. Verba hæc sunt: Περὶ δὲ τῆς πεζικῆς καὶ τῆς συμμίκτου εἴδη ἐρρύθμου ἅπερ ἀναγκαῖα κατὰ τὸ δεῖν πολέμου καιρὸν γενέσθαι νομίζομεν. Περὶ ὧν ἀκριβέστερον ἡμῖν ἐν ἑτέρῳ λόγῳ πεποίηται. De aliis hujus Leo-

* notari hic locus potest adversus barthium, qvi negat Leonem in hisce Tacticis loqvi tanqvam Imperatorem conf. p. 10. 15. 23. 27. 32. 50. 176 &c. ubi non monet tantum sed jubet.

de Lydo agit Meursius in notis.

Leonis ſcriptis præter eos, qvi ſcriptores Eccleſiaſticos ex inſtituto recenſuerunt, ut Poſſevinus in Apparatu, Bellarminus, Gerhardus, Labbe, Olearius, Cave, Oudinus, du Pin &c. Baronius in Ann. citante Miræo, Natalis Alexander de rebus Sec. IX. & X. videri etiam poſſunt Voſſius de Hiſt. Græcis & de ſcientiis Mathematicis, Bœclerus de rebus ſeculi IX. & X. pag. præcipuè CXCLV. Hankius de Byzantinarum rerum Scriptoribus part. II. c. XXIII. Ex qvo illud forte referre ab hoc loco minus alienum eſt, qvod Voſſius judicium ſuum, ſuper vita Chryſoſtomi, qvam ex Georgio Alexandrino fere Leo Imperator contraxit, in opere de Hiſtoricis Græcis latum ex Henrici Savilis notis ſublegiſſe videatur. Savilis verba ita ſe habent. *Liber quidem hic fortaſſe rectius potuit omitti, cum nihil ſit aliud qvam Breviarium Gregorii non bono judicio collectum, & pene barbare ſcriptum.* Voſſii vero: *Nihil aliud eſt quàm epitome eorum, qvæ fuſius tradiderat Georgius Alexandrinus Epiſcopus. Nec à purâ dictione poſſumus laudare, cum ea ſit prope barbara. Adde qvod nec judicio ſit magno uſus in colligendo.*

II. FLAVIUS VEGETIUS RENATUS.

Hunc in ſuis ad Valentinianum Imperatorem de re militari libris aliorum ſubinde labores in uſum ſuum converiſſe pridem non pauci obſervarunt. Johannes Hœckenius Scholaſticus Leodienſis, qvi notante Scriverio vixit circa A. MCCCXII cum epitomata ſatis urbana Vegerium conſcripſiſſe dixiſſet, locum ex libro ejus primo producit, qvem ex Ariſtotelis libro VII. Politicorum deſumſerit. Qvod epitomata vocet, innuere voluit Vegetium aliorum ſimilis argumenti libros quaſi in epitomen

contraxisse, atqve hoc ipse minime diffitetur, qvi libri I. capite XXVIII. *Hæc*, inqvit, *fidei ac devotionis intuitu, Imperator invicte, de universis auctoribus, qui rei militaris disciplinam literis mandaverunt, in hunc libellum enucleata congessi.* & libri III. capite IX. *Quisquis hos artis bellicæ commentarios ex probatissimis auctoribus breviatos legere dignabitur.* Atqve iterum: *Digesta* * *sunt Imperator invicte, qvæ nobilissimi auctores diversis probata temporibus per experimentorum fidem memoriæ prodiderunt.* Deniqve lib. IV. *Ad complementum ergo operis majestatis vestræ præceptione susceptum* [primum librum Valentiniano obtulerat Vegetius, qvem cum probasset Imperator, jussit eum reliqvos qvatuor subjicere, uti discimus ex prologo libri II.] *rationes quibus vel nostræ civitates defendendæ sint, vel hostium subruendæ ex diversis auctoribus in ordinem digeram.* Illos autem, qvos hodie habemus Vegetii qvinqve de re militari libros majoris operis esse epitomen, ceu vult Barthius, nullo modo probari potest, ac diserte repugnant prologi librorum, qvin universa ratio scriptionis, nisi qvod finem libri qvinti deesse apparet. Falsum etiam est, qvod Priscianus aliqva ex his libris alleget, qvæ hodie in iis non reperiantur. Flavius autem Blondus libro IV. Romæ Triumphantis ex Sallustio non pauca sumpsisse Vegetium observat, qvamqvã Sallustiana illa qvæ profert ægre hodie invenire possis. Interim Sallustius à Vegetio in testimonium citatur lib. I. capite IV. & IX. Johannes Henricus Bœclerus ubi de Legione Romanâ differit, *notandum*, inqvit, *præterea, qvod Vegetius pauciora ex commentariis Catonis, plura ex principum Augusti, Trajani Adriani tum Frontini libris descripserit.* Qvo in loco respexit ad verba Vegetii libro I. capite VIII. qvæ illum tamen ab omni plagii suspicione absolvunt: *Hæc necessitas compulit, evolutis auctoribus ea me in hoc opusculo fidelissime dicere, qvæ Cato ille censorius de disciplina mili-*

* Græcè κεχωρισμένα. vide Salmas. ad verba Tertulliani de pallio c. 3. *Cedo jam de vestro qvod Ægyptii narrant, & Alexander digerit, & Afer legit.* adde Gennadii Catalogum in Severo, Sulpicio.

prodiit hæc dissert. Argentorati A. 1670.

litari scripsit , quæ Cornelius Celsus, qvæ Frontinus perstringenda duxerunt , qvæ Paternus diligentissimus juris militaris assertor in libros redegit, qvæ Augusti, Trajani, Hadrianiqve constitutionibus cauta sunt. Nihil enim mihi auctoritatis assumo, sed horum qvos supra retuli qvæ dispersa sunt, velut epitomata conscribo. Augusti Hadrianiqve constitutionum iterum mentio lib. II. cap. 27. Verùm Catonis qvem in adducto loco reliqvis etiam præponit sæpius, libri I. cap. 13. & 15. sed præcipue libri II. capite 3. *Cato ille Major , cum & armis invictus esset, & consul exercitus sæpe duxisset, plus se Reipublicæ credidit profuturum, si disciplinam militarem conferret in literas. --- Idem fecerunt alii complures , sed præcipuè Frontinus Divo Trajano ob ejusmodi comprobatur industriam. Horum instituta horum præcepta in qvantum valeo strictim fideliterqve signabo.* Libro qvinto qui navalis belli præcepta exhibet Varronis potissimum Navalibus usus esse videtur, qvæ laudat libri ejus capite undecimo. Modius, Naudæus cumq; his alii à Modesto epitomen Vegetii putidissimam illam qvidem scriptam esse existimant , sed & illum à Vegetio compilatum ait Caspar Barthius libri II. Adversariorum capite XX. *Modesti libellus sane utilis ad veterem militiam intelligendam , nec recentior Vegetio , ut sensent docti nonnulli, sed quem Vegetius verbatim exscripserit, ut alibi demonstrabimus.* Qvibus autem argumentis adductus fuerit Barthius, ut Modestum istum Vegetio antiviorem faceret , nos latet , qvi contrarium verissimum esse persvasi sumus. Nam ad illud qvoqve , qvod putat in Claudianum notis, ex fine Modesti tale qvicqvam alivem suspicari posse, facili negotio responderi potest.

III. JULIUS AFRICANUS SEXTUS.

Qvemad-

Qvemadmodum hujus Sexti Chronicon transſcripſit Euſebius, ut Scaliger qvoqve putet, nihil luculentum vetuſtum aut excellens hodieque in Euſebio ſupereſſe, quod ex illo depromtum non ſit, ita viciſſim hic Africanus (alium enim gentilem eſſe, qvi ceſtos ſcripſerit, nolunt credere docti Naudæus, Voſſius, Lambecius, Joh. Rudolphus Wetſtenius, Guilelmus Cave & alii ſecuti Euſebium, Photium & Svidam, contra qvamvis nitentibus Scaligero ad Euſebii Chron. & Henr. Valleſio ad ejusd. Hiſtoriam) in libro de bellorum apparatibus qvi ceſtorum ejus nusqvam hodie integrè ſuperſtitum libri V. & VI. locum occupavit, plagii arguitur à Caſaubono ad Æneæ Poliorceticum pag. XXXI. *Æneæ*, inqvit, *tantum vetuſtas tribuit, ut pleraqve illius in ſua ſcripta ad verbum transferrent qui poſt ipſum de re militari aliqvid componebant. Exemplo ejus Julius Africanus doctus cumprimis & antiqvus ſcriptor, qvem ex hoc ipſo commentario multa capita ἔπος πρὸς ἔπος deſcripſiſſe, iisqve uſum pro ſuis in libro de bellorum apparatibus ſuis locis infra probabimus.* Videſis notas ad cap. XXII. XXXIII. & XXXIV. A Polyæno qvoqve Æneam tacito ejus nomine expreſſum notat Caſaubonus pag. CV. Sed & ipſe Æneas eodem pag. LXXXIX. notante capite XXXI. poliorcetici pæne ad verbum deſcribit verba Herodoti, qvæ VIII. Muſarum habet de Timoxeno, qvi Epiſtolis ad crenas ſagittarum religatis clandeſtina conſilia cum Artabazo Potidæam obſidente communicabat.

Scaliger ad Caſaub. p. 333. Epiſt. Ἀρχίτου καὶ Αἰνέου τακτικὰ qva ab Ælıano citantur, inter optima ſcripta ritz ponas licet

IV. LEONHARDUS FORTIUS.

Aliqvot hactenus priſcos rei militaris ſcriptores vidimus, paulo recentior eſt iſte, de qvo Naudæi locum nunc jam producemus, qvo dubium relinqvitur, utrum ille alterum com-

compilaverit, an, qvod vero similius esse videtur, hic ab altero fuerit transcriptus. Cæterum qvod recentiores etiam bellicæ rei scriptores illam aliena sibi vindicandi artem didicerint, locuples auctor est Josephus Scaliger in Epistolis pag. cccx. Ibi de Franciſci Patricii paralle-lis militaribus agens *solus*, inqvit, *Patricius mihi videtur digitum ad fontes intendisse, qvem ad verbum alii, qvi hoc studium tractarunt, cum sequantur, tamen ejus nomen ne semel qvidem memorarunt.* Sed de Fortio locus est in Naudæi Bibliographiâ militari pag. civ. *Leonhardus Fortius vulgari Græcorum metro libellum de militiâ edidit variorum instrumentorum figuris adornatum, qvæ omnino eadem visuntur in libro Italico, cujus titulus est:* Vallo libro apartenente à Cavallieri. *Ut difficile sit, conjicere, uter ab alio fuerit descriptus, sed prioris tamen ob linguam major est auctoritas, unde Rigaltio & Meursio frequenter laudatus invenitur.*

de Patricio vide Thuan. ad A. 1597. Erythræum Pinac. I. imag. 117 Teissierium elog. des scavans parte II. p. 165. de ejus discussionibus Peripateticis judicium ap. jonsium p. 311. adde Launii de varia Aristotelis fortuna cap. ult.

V. CLAUDIUS ÆLIANUS.

Pænè oblitus fuissem hujus scriptoris, qui suum περὶ τακτικῶν τάξεων libellum Hadriano Imperatori obtu-. Capite I. III. & XIX. Polybii mentionem facit, quæ ca postqvam in Polybianis fragmentis recensuisset Cabonus. *Et hæc,* inqvit, *nominatim ex Polybio Ælianus: s verò alibi docemus, totum illius aureolum libellum penè ad rbum è Polybio esse descriptum.* Illam Polybii historiam am benè Livius & Diodorus Siculus imitentur, disqui-Bœclerus sub finem Lectionum Polybianarum, qvas Ms. Augustano edidit Anno MDCLXX. 4to. Ac Diorus quidem Polybium non in judicio tantum de rebus tis exponendo, sed in phrasibus quoque secutus est, *ius verò ejusdem vestigiis passim adeò insistit, ut verbum bo interpretetur.* Etiam Suidas observante Bœclero

Vos. Institut. Orator lib. 1. c. 4. ex Fulvio Ursino.

non semel Polybii verba cum immutatione quadam describit, quo tamen nomine plagii arguendus non est, cum verba illa adducat, ut explicet. Alias de ejus plagio vide, qvæ Cl. Thomasius animadvertit. *Ineptus, fateor, sed interdum non malus compilator* aut Tanaquillus Faber ad Scaligerana prima de Svida loquens. Hujus Suidæ, vel ut Cujacius aliique appellant, Sudæ Lexicon vertit, emendavit, illustravitque Æmylius Portus, quamvis in ejus quoque editione plurima menda occurrere notaverit Lambecius lib. II. de Bibliotheca Vindobonensi capite VII. Horum mendorum nos benè multa expungemus, quando forte DEO volente Indicem Auctorum librorumque, quorum apud Suidam mentio fit, cum animadversionibus Criticis producemus. Interim quoad ætatem Suidæ notare obiter juvat falli viros doctos, qui 600. annis antiquiorem esse negant, multo magis Henricum Meibomium, qui erudito in Hippocratis ὅρκον commentario * refert ad A. C. 1250. Nam circa idem tempus floruisse novimus Robertum Grosstædterum Britannum, quem Suidæ Lexicon latinè vertisse testatur Matthæus Parisiensis & Johannes Baleus, quorum hic etiam animadversionum Roberti in Svidam mentionem facit.

alias sententias recenset Kœnig in Bibl.

* pag. 12.

VI. JUSTUS LIPSIUS.

Eum à Petro Fabro, Mureto & aliis quibusdam super Saturnalibus suis notisqve in Tacitum & Criticis nonnullis emendationibus plagii accusatum fuisse, alii ante nos adnotarunt. Sed & inde militia Romana commentariis Patricium ab eo exscribi animadversum est. Vide Teissierium elog. des Scavans parte II. p. ccc LXXXV. & Almelovenium in Syllabo plagiariorum. Unde illustre exemplum præbet eorum, quæ diximus paulo ante, eum

um de Fortio ageremus. Huc referenda ſunt verba
ulengeri, quæ allegat B. Thomaſius §. cccc xcii. *Alii*
trategica ab eo repetunt & manum injiciunt. Ex Onu-
io qvoqve aliqva eum deſcripſiſſe lego apud Teiſſie-
um l. c. In Scaligeranis primis arguitur, quod ex Sca-
geri Conjectaneis obſervationem quandam tacito no-
ine ſit ſuffuratus. In libris de Cruce Petrum Fabrum
eo exſcribi ait Bebelius Antiquitatt. Evangel. p. DXXI.
eque tamen de plagio intelligendus Naudæus pag. CXI.
bliographiæ militaris, ubi Carolum Scribanium in Po-
ico Chriſtiano dicit acumina ſenſuum & flosculos ſen-
ntiarum ſpargere, *quas interdum etiam ex ſuo penu depro-*
t, qvemadmodum Lipſius ſemper ex alieno. Cæterum de
ipſio vide, quos allegat Martinus Hankius libro I. de
omanar. Rerum ſcriptoribus pag. CC LXIX. quibus adde
ythræum in addendis ad Pinacothecam III. Drexelium
rte I. Auritodinæ cap. 4. Miræum de Scriptoribus Se-
li XVII. Eybenium ad Magiri Eponymologicum,
eherum in Theatro. Biſſelium citatum Kœnigio in
bl. item Franciſcum Sweertium in Athenis Belgicis, vide Labbeum in *Bibl. Biblio-*
arum maximam partem ex Bibliothecâ ſuâ quinquen- *thecarum.*
o ante evulgatâ eum transſcripſiſſe queritur Valerius
ndreas.

VII. J. B. FRIDERICI Lipſienſis.

Aliquot hactenus militaris rei ſcriptores recenſui-
us, quos plagii quidam ſuſpectos habuerunt. Cum au-
n in bello maxime uſus eſſe ſoleat literarum per occul-
Notas ſcriptarum, non incongruenter illis auctoribus
Friderici ſubjicietur, qui ante aliquot annos verna-

culo Idiomate Cryptographiam Hamburgi in 4to evulgavit. In toto illo libro nusquam vel verbulo mentionem facit Johannis Baptistæ Portæ, qui in opere de occultis literarum notis idem ante eum argumentum tractavit, neqve aliorum, ut Gustavi Seleni, sive Principis Augusti sacræ memoriæ, J. Caramuel Lobkowizii, Verulamii &c. qui eandem artem ante eum tradiderunt, quorum inventis eum usum esse manifestum est, quibus deinde facillimum fuit nonnulla adjicere. Plures, qui in illo argumento versati sunt, nominat Naudæus in Bibliographia Politica pag. XCIX. sq. edit. Conringii. Vide & Caspari Schotti Scholam Steganographicam, quæ recensetur Journal des Scavans A. CXVI. Journal XXXVI. Wagenseilii Exercitationum varii argumenti secundam. Zimmermannum in Analectis p. DLXIV. sqq. Sed ut ad Fridericum nostrum revertamur, ne versus quidem quos exempli loco passim affert, ex suo depromsit, sed ex Hoffmanswaldaw Poëmatis sublectos paululum immutavit, ut sui esse viderentur. Ita quæ habet pag. LXXXI. desumta sunt ex Hoffmanni Helden-Brieffen pag. LVIII. Epitaphium quod legitur apud Fridericum pag LXXXIV. est ex ejusdem Poetæ pag CII. confer. illius pag CLXXVIII. cum hujus Helden-Brieffen pag. VIII. & pag. CCXXX. cum pag. XII.

Montis beligardi A. 1593. 8vo.

Adamus Ebertus promisit Steganographiam Electoralem lingua Italica. Ejus institutum vide ante relationes ex Parnasso.

VIII. PHALARIS ACRIGENTINORUM TYRANNUS.

Hujus Taurus forte notior est quibusdam, ac Epistolæ (θαυμάζαι πάνυ ut ait Suidas) quæ sub ejus nomine circumferuntur. Has cum aliis Epistolis Græcè excudit Aldus Venetiis A. MCCCC XCIX. in 4to. Latinè emisit Leonhar-

onhardus Aretinus Florentiæ MCCCC LXXX. quæ recusæ sunt Venetiis A. M CCCC XCI. & Lutetiæ Parisionum Anno M CCCC XCIII. *Neque arbitror*, inquit in præfatione Aretinus, *adeò Phalarin in eos, à quibus insidiis petebatur, quam doctos viros in Phalarin fuisse crudeles.* Quæ verba suppressio Aretini nomine sua fecit Eilhardus Lubinus, qui easdem Epistolas à Joh. Caselio ad vulgandum sibi commissas Rostochii A. MD IIIC. in 8vo Græcè edidit. *Ego verò*, inquit, *contrà sentio, nullum Phalarin adeò in suos hostes, quam viros doctos in Phalarin crudeles fuisse, qui ejus sævitiæ tantum, quam in malos justissimè exercuit, mentionem fecerunt, virtutis & sapientiæ, quæ in illo admiranda, nullam.* Itaque Epistolas Phalaridis vertit Bartholomæus Fontius, typis excusas Florentiæ A. MCCCCXCI. Aretini versionem, quod & imperfecta & depravata esset, ad pristinum nitorem restituit complevitque Antonius Thomas Svavius, Medicus Lugdunensis, cujus labore Epistolæ Phalaridis elegantiores leguntur in farragine 1. Epistolarum Laconicarum & Selectarum, quæ è Græcis tantum versas continet, publici juris facturam ab Oporino Basileæ A. MD LIIII. in 12mo. Ibi pag. CCVII. mentio fit alius etiam Latinæ editionis, quæ prodiit Cremonæ A. MDV. Pro genuinis illas Phalaridis Epistolas præter editores Volaterranus aliique habuêre. Sed tam antiquas non esse, si nullo alio argumento constaret, abunde evinceret, quod apud veteres, qui Sudæ ætatem excedunt, Phalaridis quidem ejusque Tauri mentio occurrit, Epistolarum verò neutiquam. Unde Aretinus qvoqve & Lubinus crudelitatis veteres illos arguere voluerunt, qui tamen, nodo istas optimæ frugis pleniſſimas Epistolas oculis usurpassent, adeo crudeles, opinor, minime fuissent. Accessit & alia ratio, quod scilicet docti animadverterent, iis Phalaridis Epistolis plurimum cum Luciani acumine

Beughem Incunab. Typographiæ pag. 107.

doctrinæ ſtylique elegantiâ convenire, neqve incredibile eſſe talia Samoſatenſem iſtum ſophiſtam finxiſſe impoſiturum ſimplicioribus ingeniis. Audacter itaqve Luciano tanquam legitimo Parenti iſtum fœtum tribuerunt. Angelus Baſſus Politianus in Epiſtolis: *Epiſtolæ breves Luciani, qvem vulgo Phalarin vocat.* Janus Parrhaſius apud Gruterum T. II. facis artium pag. DCCCXXVI. *Nec ab Epiſtolis laudem Plato reſpuit, aut Diogenes, aut Demoſthenes, aut Apollonius Tyaneus, nec Lucianus ille Syrus. Ejus enim creduntur eſſe, qvæ Phalaridis inſcriptione circumferuntur.* Plura teſtimonia coacervare nihil attinet, nam hos tanquam duces complures alii ſuffragiis ſuis ſunt inſecuti. Potius hoc loco monemus plerasque etiam Epiſtolas, quæ veteribus Philoſophis apud Laërtium tribuuntur merito doctis ſuſpectas videri, uti Thaletis ad Pherecyden Epiſtolam χιβδηλίας arguit Petrus Daniel Huetius pag. LXXVII. demonſtrationis Evangelicæ. Idem judicium ferendum eſſe arbitror de Epiſtolis Themiſtoclis, quas Johannes Matthæus Caryophylus primùm, tum in Germania Elias Ehingerus publicavit. Socratis Epiſtolas ab Allatio editas auctorem mentiri confirmat Pearſonius parte II. Vindiciar. Ignatii pag. XII. De Hippocrati tributis Epiſtolis, quarum crebra apud veteres mentio occurrit (duæ etiam latinè leguntur apud Marcellum Empiricum) audi ſententiam literarum Principis Joſephi Scaligeri Epiſtolâ CCCCVI. ad Everhardum Vorſtium: *De Epiſtolis Hippocratis, quod ex me qværis, antiqvas eas ſcio eſſe, ut Democriti, Solonis, Thaletis, Pittaci Mitylenæi, qvæ apud Laërtium leguntur. Sed quia omnes illas qvæ illis Philoſophis à Laërtio attribuuntur, multis argumentis, confictas à Græcis, quibus nunqvam mentiendi voluntas aut facultas defuit, probare poſſum, ideò cur de his Hippocrateis dubitem, juſtiſſima cauſa eſt. Et certè,*

ſi

si animi nervos intendere velim, facile non esse Hippocratis vincam. Unicuique judicium suum relinquimus, tutius tamen est de eo dubitare, quod facilius est confutare quàm asserere. Ut eo minus ferendi sint Pontificii, qui Apostolicis viris primorumque seculorum Episcopis Romanis ineptas Epistolas supponunt, & ad dogmata sua confirmanda hâc antiquitatis auctoritate in speciem nituntur, imitati Gabaonitas, qui ut falso persvaderent Josuæ & Israelitis, se valdè longum iter emensos fuisse, ambitiosè illis ostentabant suos calceos attritos, panes mucidos, utres confractos, & vinum vappascens.

Sam. Maresius præf. ad Johannem Papissam restitutam Groningæ 1658. 4.

IX. ARISTÆNETUS.

In Phalaridis Epistolis octogesima septima scripta est ad Aristænetum. Hunc autem diversum esse ab Aristæneto, cujus Epistolas Eroticas habemus, temporis ratio perspicuè docet, uti illum quoque, qui, ceu est in Suidæ collectaneis, κατὰ τὰς Φιλιππικὰς καὶ Ἀντιοχικὰς καιρὰς ἦγε τὴν ἀγωγὴν τῆς πολιτείας. Sed istum, cujus liber primus de Phaselide apud Stephanum allegatur, alium esse ab Epistolarum scriptore, ex temporum ratione confici non poterit, cum in confesso sit apud eruditos, non Stephanum sed Hermolaum τὸν τὰ ἐθνικὰ ἐπιτέμνοντα (ut eum circumscribit Eustathius) nobis amplius superesse. Atqui potuit Hermolaus, qui Justiniano æqualis Libanii certe temporibus posterior fuit, in Epitome suâ locum Aristæneti adjicere, qvem apud Stephanum non invenerat, quemadmodum Vossius ex verbis in voce Γότθοι ὡς εἴρηται μοι ὑπὸ τῶν Βυζαντικῶν, ab Hermolao potius, quàm à Stephano Byzantinam historiam scripsam esse conjecit. Nihilominus opus de Phaselide Aristæneto jucundissimarum Epista-

voce Ἀρίσταινος.

voce Γέλα.

de Aristæneto Byzantino vide Kœnig Bibl.

lib. 2. de Historicis Gr. cap. 22.

pistolarum auctori tribuere non ausim, quod pauca etiam, quæ ex eo profert Hermolaus, procul ab illarum suavitate abesse videantur. Apud Libanium Rhetorem & Ammianum Marcellinum mentio fit Aristæneti, qui in Nicomediæ ruinâ misere perierit. Ammiani verba hæc sunt libro XVII. historiarum, ubi illius *Bithyniæ urbium matris* cladem describit: *Quosdam domorum inclinata fastigia intrinsecus ferebant intactos angore & inedia consumendos. Inter quos Aristanetus affectatam recens diœcesin curans vicaria potestate, quam Constantius ad honorem uxoris Eusebiæ Pietatis cognomine dicarat, animam hoc casu cruciatam diutius exhalavit.* Ad quem locum dum lego, quæ jam A.MDC XXXVI. quo Ammianum suum edidit, commentatus est vir doctissimus Henricus Valesius, miror ea effugere potuisse Cl. Barthii diligentiam, cui nihil horum in mentem venisse apparet ex libri LV. Adversariorum capite VIII. ubi in auctorem illarum Epistolarum sedulò inquirit. Neque dubitat ibidem Barthius eas inscribere Flavio Aristæneto, qui VII. annis antequam Romam Alaricus occuparet, in Cassiodori aliorumque Chronicis ac Fastis cum Honorio consulatum tenuisse perhibetur. Verùm hic junior est illo, cujus meminit Marcellinus & Libanius. Terræ enim motus qui Nicomediam obruit, refertur ad A. C. CCCLVIII. At sextus Honerii Consulatus incidit in A. CCCCIV. Extra controversiam autem positum videtur non ab alio Aristæneto, quàm de quo Libanius, duos qui extant Epistolarum amatoriarum libros profectos esse, neque dubito, si Gilberti Gaulminii & Johan. Bourdelotii prolegomena in omnes scriptores Eroticos ad nos pervenissent, quin duumviros hosce eruditissimos in testimonium hujus sententiæ citare possemus. Nunc sufficiat nominasse Lucam Holstenium & Petrum Lambecium, quorum hic, cum anno ætatis suæ duode-

Lindebrogio hoc loco nihil habet, quanquam à Lambecio allegetur

inediti in Aristænetum commentarii

vi-

vigesimo Hamburgi degens Aristæneti Epistolas illustrandas sibi sumsisset, Holstenium per literas rogavit, ut ex Vaticanâ Bibliothecâ, cui ille præfectus erat, si quæ ad auctorem istum facientia haberet, secum communicare non dedignaretur. Misit ei Holstenius decem Libanii ad Aristænetum Epistolas cum duabus de Aristæneto ad Acacium & Entrechium exaratis, è quibus colligit, eum fuisse Bithynum natione, religione paganum, Attici sermonis sub Constantio Imperatore Magistrum, pulcherrimis præcipuè Epistolis scribendis excellentem, quæ publice etiam in doctorum circulis legerentur. Non autem habuisse pro pulcherrimis, quæ essent Laconicæ. Moribus insigniter humanis amicorumque amantissimum fuisse, qui vel in transitu ad se visentes benevolentiæ præstigiis quodammodo irretiret, unde γόητα seu incantatoris nomen ei tribuerit Antiochus. Ad mulierum amores extitisse procliviorem, quod præter nimium, quem allegat Holstenius, erga uxorem defunctam affectum, Eroticæ illæ Epistolæ abunde testari possunt. Tum Rempublicam quoque attigisse, functum apud Bithynos munere aliquo publico, quod & supra allegatus Marcellini locus innuit. Denique interiisse Nicomediæ in terræ motu una cum Hierocle Philosopho, & Niceæ fuisse sepultum. Illas Libanii Epistolas Græce exhibet Lambecius libro VI. de Bibliotheca Vindobonensi pag. CCXLIV. sqq. neque has tantum sed & alias ejusdem argumenti Mstas in Bibliothecâ Cæsareâ extare testatur, sed quæ maximam partem vulgatæ sint in editione Libanii Græcolatinâ, quæ cum notis Friderici Morelli in duos Tomos distincta prodiit Parisiis A. MDCXXVI. Aristæneti verò Epistolarum libros duos Johannes Sambucus Græcè primùm vulgavit Antwerpiæ in 4to A. MDLXI. ex codice MS. qui nunc in eadem Bibliothecâ Cæsarea adservatur,

Lambecianũ αὐτόγραφον est in Bibl. Vindobonensi indicis sui in Aristænetum confecti, sed qui itidem ἀνέκδοτον est, meminit Barthius p. 2601. Adversar.

de Aristæneto etiam Libanius Orat. de vita sua T. 2. Opp. p. 21. Aristinætus perperam dicitur in Beverlandi libello de P. O.

vatur. Josias deinde Mercerus, nomine suo suppresso Aristænetum dulcissima latinitate vestitum notisque doctissimis illustratum emisit Parisiis MDXCIV in 8vo. Qui de auctore hæc habet pag. cxcix: *Hoc unum add..m, Epistolas has tersas, elegantes, sed fere totas ex optimorum scriptorum assutis locis consarcinatas, cujusmodi notavi multa e Platone, Luciano, aliis, plura notaturus, nisi jam tamdiu abessem à libris, & scriptorem hunc ipsum fere in mediis armis recensuissem magis, quàm in illo literato otio. Ætatem, qvâ vixit, non aliunde probem, quàm ab epistolâ xxvi. libri I. in qvâ mentio Caramalli Pantomimi, * qui non longe ab ætate Sidonii Apollinaris, & utriusque Romæ, quod nomen sub ævum posteriorum Imperatorum etiam datum Byzantio, translatâ sede imperii. ---- Fortean nomen inscriptum primæ Epistolæ (ΑΡΙΣΤΑΙΝΕΤΟΣ ΦΙΛΟΚΑΛΩ,) translatum ad auctorem hujus rhapsodiæ.* Quâ de conjectura vide sis Barthium p. 2600. sq. Adversariorum, qui nomen primæ Epistolæ præfixum idem Auctoris quoque esse putat, cum reliqua nomina conficta sint pro argumentis Epistolarum. Has verò Epistolas non syllogen esse variorum auctorum, sed uni artifici tribuendas videri, pro certo affirmat Barthius, qua in parte & Vossium & qvemvis, cui modò oculi sunt in capite, adstipulantes sibi habet. *Tot tamen loca Luciani*, eodem Barthio judice, *exprimit hic scriptor, & ferè transcribit, more inter Sophistas recepto, ut omninò illo posteriorem se esse ipse declaret.* Holstenius quoque cum Aristæneti lib. I Epistola I. conferre jubet Libanii Tom. II. pag. DCCIX. Cum libri II. Epistola x. illius pag. DCCXXXIV. ubi ex Aristæneto pro εὐτυχὴς legendum ἀξυχής. Unde constare potest, quam frequens fuerit huic hominum generi, ut sese mutuo exprimerent, orationumque flosculos à se invicem mutuarentur. Neque hoc locô præteriri debet, quod libri I. Epistolâ XIII. usus esse videatur auctor

Hujus laus est in Epistolis Holstenii ad Lambecium, quibus eum dehortatur, ne Mercerimanes vel uno verbo lædat, etiam ubi manifesta sit dissentiendi causa. Curiosi quædam verti potuisse notat Barth. lib. 45. cap. 6. Adversar. vide ibi notas p. 2565. sq. verba hæc sunt: ἕνα δὲ μόνον προσφυῶς μιμεῖσθαι ἢ καρδαμαλλον ἢ τῶν ἄλλων ἁπάντων ἔχεις τὴν μίμησιν ἀκριβῆ. adde Sidonium carmine 23. p. 380. editionis Elmenhorstii. Paulo post Aristænetus: καὶ πρόσχες τὴν νέαν τὴν πρεσβυτέραν ἰσάρηκα ῥώμην καὶ τοιαύτην ἐν ἑδέτερα τεθέαμαι

ctor Stratonicæ, quemadmodum ex Heliodori libro primo Æthiopicôn, in secundum Nemoralium suorum librum aliqua transtuliſſe apparet Gaſparem Gillum Polum. Ita Heliodorum & Tatium alterum alterius Simiam vocat Bourdelotius. Ex Ruetio obſervante, Theodorus & Euſtathius Tatium tranſcribunt potius, quàm imitantur. Proclive ſit in hoc ſcriptorum genere oſtendere, quam frequenter recentiores antiquiorum elegantiam, ut molliſſimè dicam, in ſe transferre ſint conati. Sed nunc ad alios transeundum.

Cæterum Caramallium γελοιοτατον fuiſſe negat Mercerus contra Scaligerum in Lect. Auſoniam. lib. II. cap. 19.

Hæc Nemoralia latine ex Hiſpanico vertit Barthius.

X. JOHANNES DAMASCENUS.

Phalarin & Ariſtænetum non ut plagiarios, ſed ut pſeudonymos recenſuimus, nunc aliqvot iterum fures literarios producemus. Damaſcenum arguit Thomaſius, quod ex Epiphanio ſub initium libri de hæreſibus pauca quædam de quatuor archihæreſibus, ut ita dicam, de verbo deſcripſerit. Sed ut Petavius ad Epiphanii hæreſin XII. recte monet, totus Damaſceni liber nihil aliud eſt, quàm Epiphanii anacephalæoſis, paucis ademtis aut immutatis. Nec Damaſcenus tantum, ſed & alii hæreſiologi ſua fere ex Epiphanio hauſerunt, uti ipſe forte Epiphanius Juſtinum aliosque, qui ante eum adverſus hæreſes ſtylum direxerant, compilavit.

XI. GALENUS.

Idem B. Thomaſius diſſertatione de anno Magno §. VII. *Varias*, inquit, *de magno anno ſententias congerunt è priſcis Plutarchus, quem ſuo more deſcribit Pſeudo Galenus Hiſtoriâ Philo-*

Exerc. de Stoica Mundi exuſtione pag. 63.

Philoſophicâ &c. Sed plagium hoc exſpirabit, ſi Jonſium audiamus, qui in hanc ſententiam ſcribit libri tertii de Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ cap. XI. *Extat inter opera Galeni Hiſtoria Philoſophica, quæ Galeni non eſt, ſed Plutarchi, hujus enim libri quinque de placitis Philoſophorum & illa Hiſtoria Philoſophica unum idemque opus eſt, inter ſe conferendum, ut alterius lacunæ ex altero ſuppleri poſſint, cum neutrum, ut ex collatione alterius conſtat, perfectum & plenum, ſed temporis iniquitate variè mutatum & truncatum ſit, ut prorſus diverſum eſſe videatur.* Hæc & plura ibi Johannes Jonſius vir doctiſſimus deque hiſtoria Philoſophica optime meritus, cui & Menagius ad Laertium, & alii plurimum debent, cujus celebritati maxime obfuit, quod fatis concederet antequam opus illud, quod allegavimus, à typographo perficeretur.

XII. PHILOSTRATUS LEMNIUS.

Ab hoc in vita Apollonii locum de aquâ Asmabæa ex Ariſtotele compilatum eſſe ex Mauſſaco B. Thomaſius obſervavit. Aliud ejus plagium indicat Huetius propoſitione 1. Evangelicæ demonſtrationis pag. xxx. ſq. *Egregium*, inquit, *cum univerſæ Evangelicæ Hiſtoriæ, tùm præcipuè Evangelio Lucæ atque Actis etiam Apoſtolorum ab eo ſcriptis antiquitatis teſtimonium commodat Philoſtratus Severo Auguſto coævus. Pleraque enim Chriſti Apoſtolorumque miracula ex his libris adeò manifeſtè in Apollonium ſuum transſcripſit, ut ne à verbis quidem ipſis uſurpandis abſtinuerit. Id nos luculenter in propoſitione nonâ demonſtrabimus.* Ex nonæ propoſitionis capite CXLVII. p. DCCCC LXXVII. ſqq. huc pertinent. Sed & ante Huetium idem innuere voluit Philippus Mornæus aureo libro de veritate Religionis Chri-

editionis in 8vo. quæ præſtat alteri inſolquamvis ſplendidiori. Nova auctiorq; nunc expectatur, in qua forte auctor doctiſſimus ſatisfaciet iis, quæ Theologi Batavi in judicio ſuper Critica V. T. Ri-

Christianæ capite XXXIII. ad fin. *Et puella qvidem vitam restituisse dicitur* (Apollonius) *sed Philostratus ille Evangelistarum simia, mortuam asserere non audet.* Idem Huetius propositione qvartâ prolixè ostendit, Mosen ac res ab eo gestas & literis proditas unicum fere fontem fuisse, unde universæ propemodum per orbem gentes DEos suos, Heroas, & auctores totamqve Theologiam suam hauserunt. Miratum itaqve se esse ait pag. LXVII. in tantâ literarum ac sacrarum præsertim luce, neminem extitisse adhuc, qvi hanc scenam hominibus aperire aggrederetur. Hunc in modum Edmundo Dickinson erudito opusculo, qvod Delphos Phœnicizantes inscripsit, Apollinis historiam eiqve affinia complura è Josuæ historia Græcos confixisse docuit. Geminum argumentum attigerunt viri summi Samuel Bochartus & Daniel Heinsius, qvorum hic in Aristarcho Sacro pag. XXII. Homerum ex oriente omnia depromsisse alibi se ostensurum promisit, uti à Mose eum non pauca accepisse contendit Huetius pag. LXXV.

chardi Simonis ei objecerunt.

de aliis Homeri plagiis vide Theodor. Canter. lib. 2. cap. 3. Var. Lect. Jacobi Nic. Loensis Epiphyllid. lib. 2. c. 1. qui c. 2. de Hesiodi furtis agit de Virgilii c. 3

XIII. ABDIAS BABYLONIUS.

Actus Apostolorum etiam compilavit, qvi Abdiæ Babylonio libros decem certaminis Apostolici supposuit. Equidem supposititos esse, qvos ipse Paulus IV. repudiavit, plures Pontificii agnoscunt apud Vossium de Historicis Græcis & Gerhardum in Confessione. Qvibus præter Natalem Alex. & Eliam du Pin. accessit etiam Huetius de claris interpretibus, & pag. XIX. demonstrationis. Ex Reformatis nominamus Rivetum & Cocum, qvos reliqvi facilè insequuntur. Ex nostris Barthium lib. L. cap. IX. Adversar. & Philippum apud Richter. in Melanchthonianis, qvi libros illos *mirifica scripta apellat, & referta falsitate manifestâ. Superstitionum tantam esse copiam, ut facile ap-*

pareat, qvibus temporibus compositi sint, non solum indoctis, sed infelicibus qvoqve. At enim plagium in Actus commissum, eorum cum Abdia collatio oculis suggerit. Neqve enim eo insaniæ processimus, ut cum Wolfgango Lazio Abdiam Lucæ anteferamus, vel uter alterum exscripserit, dubium esse arbitremur. Interim hac occasione Abdiam instar omnium nominare voluimus, qvoniam si ὑποβολιμαῖα sacrorum præsertim auctorum examinare animus esset, tantum non omnia in hunc censum referenda viderentur. Verùm alio qvoqve nomine, ambiguo licet, Abdiæ de plagio dicam dicit vir doctissimus Christianus Daumius, præfatione luculentâ ad Hieronymi Theologi Græci panopliam: *Sed & desideratur*, inqvit, *in hac novâ* (Bibliothecæ PP. Lugdun. MDC LXXVII.) *editione Abdias Babylonius vulgò sic appellatus, qvisqvis etiam ille fuerit, sive Julius Africanus* * *sive qvis alius, nam nunc istud non inqviro, de vitis Apostolorum una cum Anonymo Philalethe Eusebiano de passionibus Apostolorum à Friderico Nausea A. M. D. XXXI. Coloniæ 4. publici juris facto, ex qvo aut Pseudo Abdias ille sua exscripsit, aut ex isto ille, ut videbunt, qvi utrumqve interse committent.* Abdiæ libros vicissim in usus suos transtulisse apparet Joachimum Perionium.

uti Pighius delectatus est verbis Rufini, qui Marci Evangelium vocat religiosum furtum ap. Chemnitium p. 19 exam. Concil. Tridentin. edit. in fol.

*hic esse non potest, cum ipse, ceu observavit Gerhardus, allegetur, quam quam imperite fingitur Abdiam ex Hebræo latine uti Eutropius græcè versisse.

XIV. ISIDORUS CLARIUS BRIXIANUS.

vide & Almeloveenii Syllabum

Munsteri notarum exscriptor vocatur à Rich. Simone lib. III. Criticæ Veteris T. cap. XV. Hadrianus Beverland diss. de P. O. pag. CXXXV. *Nulla*, inqvit, *versio pluribus sordescit maculis, qvam vulgata, qvæ post emendationes Clementis* VIII. *Pontificis Max. & castigationes Erasmi & Isidori Clarii, plagiarii alias scelestissimi, notante Matthæo Polo, etiam-*

annum sexcentis in locis solœcismis scatet. Poli locus est in præfatione ad Tomum I. Synopseos Criticorum, qva brevia de auctoribus qvos excerpsit, judicia fert auctor diligentissimus. *Ignavum illum manifestumqve plagiarium Isidorum Clarium lubens prætereo, qvi ex Munstero plerumqve non modo sententias, sed & verba fere singula descripsit, qvi si in illâ Republica vixisset, ubi ingeniosis furibus impunitate concessâ imperitis tantum & segnibus pœna capitis statuebatur, ad furcam procul dubio damnatus fuisset.* Hunc Poli locum leges etiam apud Saldenum de libris pag. CLVI. De Isidoro autem præter Kœnigio citatos videndus Teissierius parte II. elog. pag. CII. sq. & parte II. pag. CCCXCVII.

XV. THOMAS MALVENDA HISPANUS.

Idem Matthæus Polus in eadem præfatione excerpsisse se ait commentaria Malvendæ in S. Scripturam à Genesi ad Ezechielem, *qvi magnâ sane industriâ (utinam & pari judicio) varias difficilium inprimis locorum versiones & interpretationes ex diversis auctoribus, dissimulatis tamen plerumqve ipsorum nominibus, contexuit.* De ejus versione ac notis in aliqvos sacri codicis libros hæc qvoqve Simonis judicia adscribere placet. Libro II. capite XX. pag. CXIII. *Edita qvoqve Lugduni maximæ Veteris Testamenti partis nova versio tum notis Thomæ Malvendæ Dominicani. Sed adeo barbara, adeo inconstans, ut nisi auctos statim notas explanationis gratia & in textus explicationem observationes adjecisset, nullius plane utilitatis foret, cum iisdem vitiis & qvidem sæpius qvàm Arias Montanus scateat. Si qvis itaqve pure versiones Grammaticas textus sacri habere velit, legat Malvendam, qvi ipsi & Grammaticæ & Dictionarii instar unus erit.* Libro III. capite XII. pag. LV. *Malvenda Dominicanus, qvi ma-*

Malvendæ reliqva scripta vide in Bibl. Hispan. ap. Wittium in Biograph. ad A. 28. 7. Maji. &c.

p. 112. in Aria notaverat, qvod vocum Hebr. æqvivocarum significationem juxta circumstanti

as locorum loci pturæ propriam attendere neglexerit.

maximæ partis Novi (lege *Veteris*] *Testamenti versionem admodum barbaram conscripsit, commentarios, aut magis notas literales adjecit dignas, quæ legantur, etsi multa superflua contineant. Quia scopus illi erat varias omnes interpretationes textus Hebraici proferre, multos idcirco à genuino sensu procul dissitas & nulla probabilitatis specie nixas protulit. Nimium quoque Etymologiis & aliis Grammaticæ minutiis inhæret. Cajetanum tùm in suis versionibus tùm commentariis imitari ex parte videtur, cum hôc tamen discrimine, quod per se ipsum pro sua linguæ Hebraicæ cognitione variarum interpretationum delectum facere poterat, is verò nequaquam, sed omninò ab aliis penderet.* Hactenus Rich. Simonius, qui pag. XLVIII. ægre fert, quod Monachus Franciscanus de la Haye tot ies imperitissimum suum Malvendam in sua collectione laudaverit.

nam ut ait p. 52. creditur Cajetanus non minus Græce ignarus extitisse quàm Ebraice.

XVI. JOHANNES MAGIRUS.

Vir cætera eruditus, dignissimus est, qui ad librum Cl. Thomasii de plagio literario editum referatur. Quippe totum Golii commentarium super Aristotelis Ethicam publice per aliquot annos Argentorati prælectum, ne apice quidem addito sub suo

A. 1618. *nomine evulgari curavit* & virum optimum deque Gymnasio Argentoratensi præclare meritum debitò honore privavit, quod jam ante viginti quatuor annos monuit Christophorus Eckenbergerus.*

A. 1664. *Autographum Golii, ne quis dubitet, adhuc apud Nepotes ostenditur.* Hæc adscripsimus ex Georgii Frid. Heupelii amœnitatibus Historico Criticis num. XIV. Obiter notamus Cl. Morhofium pag. CCXLIII. polyhistoris polymnemona Tobiæ Magiri, (quem nondum vidisse se fatetur Labbeus in Bibl. Bibliothecar.) per memoriæ lapsum tribuere Iohanni Magiro, uti Tobias Magirus. apud Labbeum in indice perperam Thomas appellatur.

prodiit Francofurti a. 1661. fol.

XVII.

XVII. GODOFREDUS VITERBIENSIS.

Hunc Chronici auctorem Catalogo Plagiariorum Thomasiano inserere jubet Joh. Christianus Hetzerus Lipsiensis, specimine Observationum Historico Criticarum capite 1. quod Ottonem Frisingensem sæpenumero ad verbum transscripserit. At fere commune est hujus generis scriptoribus antiquiores exscribere, ut si paulo strictius ingenuitatem in illis requirere vellemus, illi fere soli centuriam nostram adimpleturi essent. Quis nescit, Nicephorum quicquid antiqui in sua historiâ, quicquid probi habet, fere ex Eusebio, Evagrio, Sozomeno &c. dissimulatis plerumque ipsorum nominibus hausisse? De Eusebio supra nonnihil diximus, nec Thomasius reticuit, & nos infra aliquid addemus. Illustris Scaliger ad Eusebium ait: *Eusebii Chronicon tanti fuisse apud veteres, tantamque ejus dignitatem, ut Chronologi, qui post eum scripserunt de temporibus, aridum esse censuerint, quod non ejus fontibus irrigatum esset.* Nec Marianum Scotum tantùm, sed & Georgium Syncellum, totum Eusebii Chronicon in suum transfudisse testatur. Tum ex his Cedrenum, Anianum & Pandorum Ægyptios Monachos, Prosperum, Cassiodorum &c. Cedrenum atrocibus verbis plagii arguit Lambecius libro II. de Bibliothecâ Vindobonensi parte II. pag. DLXXVIII. seq. quanquam rectius Cl. Thomasius eum defendendum putet. Cum enim sub initium Compendii sui aliquot scriptores enumerasset, qui ante eum Historiæ epitomen ἐπραγματεύσαντο, ἡμεῖς ὖ, inquit, τὰς τούτων ἐπελθόντες βίβλους τὰ εἰκότα συνελέξαμεν, προθέντες ϗ ἔστι ἀγράφως ἐκ παλαιῶν ἀνδρῶν ἐδιδάχθημεν. Ἀλλὰ μὴν ϗ ἀπὸ τῆς λεπτῆς γενέσεως * σὺν ὀλίγα συλλέξαντες, ϗ ἀπὸ ἐκκλησιαστικῶν, ἱστοριῶν, ϗ ἀφ' ἑτέρων βιβλίων &c. Sæpius etiam in ipso libro auctores allegat, quanquam

vide Bos. ad periocham Josephi de Christo p. 30. 32. 44 &c.

Nicephori plagia tangit & Bosius l. c. p. 33. 35. &c.

vide & Labbeum cum Miræo.

* hanc Lambecius libro V. p. 28. suspicatur esse narratio-

nem apocryphum Mosis de Adamo & Eva quæ MS. est in Bibl. Vindob.

nec raro scriptorum non statim nominatorum verba inserit, unde frequenter in Suida & Cedreno eadem leguntur, quod uterque ex iisdem fontibus sua hauserit, non quod vel Cedrenus Suidam, vel, qvod absurdius est, Cedrenum eo antiquior Suidas exscripserit. De Cedreno iterum Scaliger ad Eusebium: *Georgius Cedrenus totam Chronographiam Syncelli verbatim descripserat, & ex eo atque aliorum Chronologorum scriptis ingens volumen contextum σύνοψιν ἱστοριῶν vocavit.. Sed ne illud quoque breviatorum manus librorum præsentissimum venenum effugere potuit. Plus dico: Non breviatores illi, sed mutilatores fuerunt. Nam quæ habemus, non justum illius συνόψεως breviarium est, sed potius cadaver, & disjecti membra scriptoris, παρεκβολαὶ & excerpta ex eo ingenti volumine sine ullo ordine temporum aut gestorum ac delectu eorum, qvæ aut omittenda aut excipienda erant. Idiotam quidem hunc Cedrenum fuisse, illius scripta clamant, sed pejus & de illo & de totâ Chronologia meruerunt, qui eum tam crudeli genere lacerarunt. Denique totum Cedreni opus est stabulum quisquiliarum & cento ex multis pannis sordidis, purpureis, malis, bonis, integris, laceris consutus.* Non malum Historicum vocat Petrus Faber comment. de Magistratu Romano pag. cxc. Contra ejus narrationes in universum parum fidei mereri, ait Conringius de Bibliothecâ Augustâ p. LXXXVIII. confer & Deg. Wheari relectiones Histor. pag. CCXXXVIII.

XVIII. MICHAEL GLYCAS.

Glycam aliquoties plagii arguere videtur Consalus Ponce de Leon commentario ad Physiologum, qui Epiphanii nomen præ se gerit. Nam ad caput I. quod de quadam leonis proprietate agit, *Glyca*, inquit, *qui annales abortu Mundi ad Alexii Pulcri Imperatoris usque tempora scripsit, totum hunc locum ab Epiphanio mutuasse videtur.* Ad

T. 2. Opp. Epiphanii edit. Parisp. 191

caput

caput III. quod agit de Elephante: *Michaelus Glyca, cujus mentionem fecimus, in hunc Epiphanii libellum sine dubio incide-rat, integrum enim hoc caput operi suo inseruit.* Ad caput X. quod est de Turture, Glycam prolixum quendam Basilii locum exscripsisse ait. Cæterum Cl. Placcius de Pseudonymis p. cci. Ernstium secutus, fallit, quando affirmat, Meursium manifestò deprehendisse, Annales Glycæ non Glycæ, sed Theodoro Metochitæ tribuendos esse. Nam Raynaudus pag. CLVI. Erotematum de bonis & malis libris Meursium castigat, quod non dubitaverit librum tertium Annalium Glycæ pro Theodori Metochitæ compendio historiæ Romanæ vulgare. Qua de re plura verba fecit Labbeus in splendida Glycæ editione, quam cum versione notis ac emendationibus suis adornavit Parisiis A. MDCLX.

pag. 194. vide & p. 200. 215.

pag. 201.

XIX. JOHANNES ZONARAS.

Hujus annales à plagio absolvit, quod ipse fateatur, se historiam ex variis scriptoribus veluti stipem colligere necesse habuisse, ac in multis illorum & dictione & compositione sibi fuisse utendum. Paulo itaque iniquiora sunt verba Eichelii ad Procopium pag. CLXIV. *Sequiores scriptores qui ἀνέκδοτα Procopii compilarunt, * ut Suidas & Zonaras.* Quod pag. LVIII. mollius dixerat: *Quæ de eodem Justiniani amore erga Venetos Evagrius, Zonaras, Nicephorus, alii sequiores literis prodiderunt, ex ἀνεκδότοις hausta sunt.* Præter annales Zonaræ extant etiam commentarii in Canones Apostolorum & Conciliorum & Epistolas Patrum Canonicas. Ex his Balsamonem pleraque omnia mutuatum esse, notant Wetstenius præfatione ad Origenem pag. XVIII. Beveregius prolegom. in Synodicum num. XXIII. Meierus Relatione de collect. Cano-

* vide quæ de hoc verbo dicimus infra, ubi de Joh. Vorstio agimus.

reliqua Zonaræ scripta recensent Acta Er. A 87 p. 663. sqq.

num §. xxxii. allegati Cl. Tenzelio diss. de duplici Baptismo Constantini M. §. xvi, Contra Natalis Alexander Zonaram sua ex Balsamone hansisse contendit, qvem ante Zonaram floruisse verisimilius esse videatur. Sed priori sententiæ Guilelmus etiam Cave favere videtur, qui Balsamonem Zonarâ juniorem facit.

XX. GEORGIUS PACHYMERES.

Dionysium Areopagitam scholiis illustravit. In iis Maximi exscriptor dicitur à Joachimo Johanne Madero notis ad Polycarpum. Alias de ejus vitâ & historiarum libris legendus Hankius de Byzantinar. rer. scriptoribus partis I. capite xxxiv. Obiter quoque notandus error Vossii, qui in opere de scientiis Mathematicis p. xxxviii. ubi Pachymeræ σύνημα Musicæ, Arithmeticæ, Geometriæ & Astronomiæ MS. in Regis Galliæ Bibliotheca latere ait, frustra castigat Gesnerum, qvod Pachymerem Athanasii tempore vixisse scripserit. Neque enim Athanasium quarti seculi scriptorem intellexit vir doctissimus, sed alium Seculi xiii. Pachymeris æqualem itidem Alexandrinum, cui adversarius contigit Athanasius C Politanus, de quibus plura in historiam suam retulit Pachymeres. De C Politano vide Cyprii Chronicon Ecclesiæ Gr. p. ccxxxix. sqq. ubi & vita illius Athanasii ab anonymo scripta memoratur, quæ sæpius allegatur à Leone Allatio de templis Græcorum recentioribus & alibi.

geminum errorem in Possevino notare meminivirum Cl. Thomam Ittigium.

XXI. JOHANNES FUNCCIUS, *Noribergensis.*

Sub hujus nomine Chronologia in eamque commentarii libros X. complexi editi sunt Basileæ Anno MDLIV.

capite truncatus Regiomonte Anno 1566.

MDLIV. 4to Cum continuatione in hæc Funccii Chronologia recusa est Wittebergæ A. MDCI. fol. Laudant eam tum alii, tum Bodinus quoque vir proclivior ad Germanorum contemtum. Henricus Buntingius Hannoverensis in Funccio notat, quod doctrinam mathematicam neglexerit, neque consideraverit annorum varietatem, cum anni Hebræorum ab æquinoctio vernali inchöentur, Chaldæorum & Græcorum autem à Solstitio æstivo, Romanorum à tempore brumæ, & Ægyptiorum anni vagentur per omnes dies anni Juliani, unde non potuerit res gestas suis temporibus rectè assignare. Ut autem ego Funccium hîc commemorarem, fecit locus Strigelii, quem reperi apud Richterum in Melanchthonianis pag. ccccv. *Multi putant non ipsum Funccium esse auctorem illius Chronologiæ, sed* (Andream) *Osiandrum, qui fuit excellenter doctus in Mathematicis, in lingvis, in Historiis.* Ita Nicolai Cragii de Republica Lacedæmoniorum egregium opus Meursius vocat, Cujacio potius tribuendum esse contendit Keckermannus, contrarium tamen asseruit Ernstius, loco, quem Almelovenius indicavit. Geminum de Thomasini elogiis refert Colomesius Recueil de Particularitez pag. cix. *Monsieur Vossius m' a dit, que Jean Rhodius, Autheur du Traitè de Acia, disoit hautement à Padouë, qu' il avoit fait les Eloges des Hommes illustres que Thomasius a publiez sous son nom: Et que si celui-ci estoit devenu Evesque, il luy en avoit toute l' obligation.* Inde & Wittius in Biographia ad A. LIX. d. xiv. Febr. dicit, Johannem Rhodium illustrium virorum elogia sub nomine Jacobi Philippi Thomasini emisisse.

18. Octob. ætatis 40. vide Bucholcer. P. 628.

Andream Osiandrum conterraneum suum laudat Funccius in præf.

XXII. REGIUS GORADDIVUS *Italo Germanus.*

De isto lubet adscribere verba B. Jacobi Thomasii, quæ leguntur in ejus dissertat. de Nigello Wirecker.o §. IX. *Regii Goraddivi nomen usurpatur non modo in praxi* jocandi, *cui speculum stultorum* (Nigelli) *accessit Anno 1602. editâ, sed & in supplemento praxeos* jocandi (*sic vocatur hic alter libellus in lemmatibus paginarum*) *quod pariter Francofurti prodiit anno 1605. hoc titulo:* Ars vexatoria, hoc est, jocandi innoxiè ratio promta atque extemporanea, ex Msto Regii cujusdam Goraddivi primùm erута. *Quis sub hoc nomine latcat, fictum enim esse nemo dubitabit, fatcor me certo compertum non habere. Equidem si ex anagrammate res* judicanda, *Regius Goraddivus erit Georgius Draudius. Sed cur ipse Draudius dum in Bibliothecâ suâ Classicâ p. 1155. Praxim* jocandi *memorat, (ubi quidem nominum horum ordinem invertit, proqve* Goraddivo *scribit* Goraddinum, *nisi culpa hæc in typothetam transferenda) non solvit hoc ænigma? nam aliàs p. 349. non veretur fateri suum esse Tomum Canicularium dierum III. qui sub Simonis Majoli nomine prodierat. Cur praxeos* jocandi *supplementum plane tacet? An puduit ipsum, qvi pastor esset Ecclesiæ Ortenbergensis, scripti in* jocis *atqve facetiis occupati? An alia nobis anagrammatico artificio nomina inqvirenda? An qvicqvid de Regii Goraddivi MStis præ se ferunt utriusqve libelli tituli, merus Bibliopolarum fucus fuit, emtori alliciendo comparatus? Sane vero certum hoc habeo, in supplemento praxeos jocandi multa reperiri depromta (licet hoc nusquam indicetur) è mensa Philosophica Theobaldi Angvilberti, quæ & sub nomine Michaelis Scoti (sed perperam) prodiit Francofurti A. 1602 & Lipsiæ A. 1603. ut adeo in his ad MSta recurrere nulla necessitas sit.* Ex eadem dissertatione huc referenda veniunt, quæ habet B. vir de Bru-

add. Thomas. de plagio §. 65). seq.

nel-

nello sive speculo stultorum Nigelli, quem Vigellum in quibusdam editionibus appellarunt, uti ridiculè Brunellum pro auctoris nomine habuit Goulartius. Item quod §. LII. sqq. poema adversus barbariem in Balei, quique hunc exscribere solet Pitsei de scriptoribus Angliæ commentariis Nigello perperam tributum restituit Johanni Sarisberiensi.

XXIII. EUSEBIUS PAMPHILI CÆSARIENSIS.

Quemadmodum Tertullianum ex Justini Martyris ad Tryphonem dialogo non paucas sententias in suum librum adversus Judæos transscripsisse Scaliger observavit ad Eusebium, ita Tanaquillus Faber libro I. Epistolarum pag. cxxxviii. ex eodem Justini Dialogo, seu melius libro, Eusebium arguit satis inverecunde descripsisse, quæ de præexistentiâ (Græci προϋπαρξιν vocant) Christi dixit libro 1. Ecclesiasticæ Historiæ. Totus autem est in illâ Epistola Tanaquillus, ut Eusebii auctoritatem labefactet, quo facilius persvadeat lectori suo, celebrem illam de Christo Periocham ab eo primùm confictam ac Josepho suppositam fuisse. Quam litem ab Huetio jamdum assumtam cum nostram hoc loco facere nolimus, adscribimus potius verba Scaligeri, quibus Chronicon Eusebianum longe acerrime plagii accusavit. *Nihil*, inquit, *luculentum, vetustum, excellens in eo est, quod non ex Africano depromserit, cujusmodi præstantissimum illud & nunquam satis laudatum Dynastiarum Ægyptiarum monumentum, reges Assyriæ, Stadionicæ, reges Sicyonii, Argivorum, Athenienssium, & alia multa quæ in priorem librum Chronologiæ suæ transtulit, quæ cum omnia ab Africano habuerit, vix tandem illius meminit, nisi in iis, in quibus ab ejus sententia discedit, ut mirum*

hunc Tryphonem non aliũ esse à celebri illo R. Akibæ sive præceptore sive condiscipulo ac collega quem R. Tarphan vulgo vocant, docuit max. Rev. D. Carpzov. Introduct. in Theol. Judaic. pag. 84.

rum nihil videatur tantâ ſecuritate ſui ſeculi alienam induſtriam ſibi vindicare, neqve revereri judicia eorum, qvi Africanum qvotidie legebant, utpote cujus opus à centum annis in manibus hominum verſaretur. Atque iterum: *Omnia quæ Africanus collegerat libris qvinqve in illam priorem partem, qvam κάνονας παντοδαπῆς ἱστορίας inſcripſerat, tranſudit, tantâ ſecuritate, & ut Græci loqvuntur, adeo γυμνῇ κεφαλῇ ut ore Africani loqvatur, verba ipſa Africani obſervet, nihil denique boni ibi repoſuerit, quod lege Atiniâ ei Africanus condicere non poſſit.* Nihilominus libro ſexto Theſauri temporum Principem hiſtoricorum vocat Euſebium, quemque multum Hiſtoriæ contuliſſe negari non poſſit. *Omnia enim apud veteres ſcriptores Africanum, Tatianum, alios ſparſa in unum conſpectum conjecit, ut hoc nomine plurimum illi debeatur.* Forte non ingratum Lectori fuerit his ſubnectere ejusdem Tanaquilli, quoniam in manibus eſt, judicium de duobus recentioribus Chronographis Calviſio & Helvico, præcipuè cum tacitam plagii incuſationem continere videatur. Lib. I. Epiſt. LXIII. pag. ccxi. *Primum hoc mihi credas velim, Helvicum non ſatis locupletis eſſe fidei in hâc Chronologiæ parte, qvæ virorum ſcriptis illuſtrium ætatem ſignat. Dein hoc qvoqve habet Helvicus, qvod fere plerumque recentiores ſcriptores ſeqvatur, ut Eclogarios, Bibliothecarios &c. qvale aliqvid qvoqve in Calviſio improbarat Scaliger, qvemadmodum ex Epiſtolis ejus apparet, qvamvis Calviſii opus, ex qvo totus eſt Helvicus, mirifice laudaret.* ✱ Ibidem Faber Helvicum in ætate Athenæi, Luciani, Juſtini, qvi Trogi Epitamen confecit, & Hermogenis Rhetoris aſſignandâ erraſſe notat. *Scin' tu quid faciendum? hoc, ſcilicet,* inquit, *petenda hæc Chronologiæ pars eſt ab aliis hominibus. Nam qvi τὰ καθολικὰ artis illius vulgo tradunt quamvis alias doctiſſimi ætatem veterum ſcriptorum qvomodo aſſignabunt, niſi ſcriptores ipſos legerint, quod tamen non faciunt?* Hæc Faber,

vide Gell. xvii. 7.

allegatur etiã a Voglero in addendis ad introduct.

✱ prolegom. in canones Hagog. & in Epiſt. p. 303. 305. 325. 494. 515. 513. &c. vide & Caſaub. Epiſt. p. 490. 506. 509. &c. ac quæ novæ Calviſii editioni elogia præmittuntur,

cujus

cujus sententia omnino probari debet, consentiente Voglero. Cæterum de Eusebii scriptis præter alios abunde egerunt Bosius ad periocham Josephi de Christo capite II. Hankius de Scriptoribus Byzantinis & Gvilelmus Cave in Chartophylace.

XXIV. DANIEL HEINSIUS.

Idem Tanaqvillus libri I. Epistolâ LXVIII. ob furtum literarium Heinsio dicam scribit, qvod explicationem loci Horatiani *leporem venator ut altâ in nive sectatur* &c. Scaligero inter accepta referre debuerit, qvam tamen *nemini ante se in mentem veniisse, neqve adeo venire potuisse* glorietur. Majus plagium est qvod ei objicit Claudius Salmasius præfatione ad Simplicium. *Qvæ in ipso simplicio ex scriptis codicibus vir doctissimus emendavit, talia sunt, ut optimam ac impendio laudabilem operam in Editione Veneta corrigenda posuisse posset videri, si qvid de suo in eam correctionem attulisset. Usus est Nansiano codice ab ipso Nansio cum scripto exemplari collato. Qvacunqve ad oram sui libri notaverat Nansius, ea in textum recipienda curavit Heinsius, ubiqve deletâ Nansii manu & suâ repositâ. Mirabitur Lector, si scierit virum famâ celebrem alieni laboris gloriam in se totam transmovere esse conatum. Qvodqve magis mirandum, in eo libro, qvi sanctissimæ & incorruptissimæ Philosophiæ Præcepta traderet, sic qvidam olim sacrilegus accensâ face ex ipso altari Jovem ad lumen suum compilavit, inquit ille. Ignoscerem illi, si bonas tantum conjecturas Nansii surripuisset, sed qvod etiam malas, hoc vero ferri non potest. Ita delusus ille fur fuit, qvi cum aureorum plenum sacculum se putasset auferre, æneis calculis refertum domi invenit.* Nescio qvorsum oculos conjecerit auctor Bibliographiæ Curiosæ Germanopoli ut titulus præ se fert excusæ, qvi dicit Nunnesium ad Phrynichi voces Atticas in codice suo multa

Franciſci Nansii, post qvem Heinsius Nonnianam Johannis paraphrasin qvoq; edidit.

egregia annotasse, qvæ Daniel Heinsius pro suis postea ediderit, acerrime propterea traductus à Claudio Salmasio præfatione ad Simplicium.

XXV. SEBASTIANUS CASTALIO, SIVE CASTELLIO.

Castellio verum nomen est sed maluit Castalio dici, qvod à Musarum flumine qvi Castalius dicitur, derivaretur. Scaligerana I. *p. 563. summæ controversiar. ubi Vox auctor male est omissa.

Hunc sub nomine Martini Bellii dialogum Lælium de hæreticis gladio coërcendis Calvino opposuisse, ex Beza in vita Calvini notavit Placcius pag. CLXI. & post eum Teissierius parte I. Elog. pag. CCXXXVII. Verùm in Bibliotheca anti Trinitariorum, qvam partim Sandio, partim alii cuidam Sociniano erudito (Benedicto fortè Wissowatio) debemus, pag. LXIV. & XX. ille tractatus Lælio Socino tribuitur, allegata in hanc sententiam auctoritate Johannis Cloppenburgii & Hoernbekii * In eadem Bibliothecâ pag. XXI. sub Mini Celsi Senensis nomine, qvod liber de hæreticis capitali supplicio non afficiendis præ se fert, non Faustus, uti visum est Petro Scavenio, sed Lælius Socinus latere perhibetur. At Sebastiano Castalioni rectè tribuitur versio latina Theologiæ Germanicæ à B. Thomasio Schediasmatis Historici pag. LXXVII. qvæ versio sub Iohannis Theophili nomine prodiit. Ipse autem liber, vernacula lingvâ conscriptus, ab aliis Taulero, Schwenkfeldio ab aliis, ab aliis deniqve Eblendo Historico asseritur. Qvod Tauleri esse non possit, ostendit Thomasius l. c. pag. LXXIII. qvi negat de auctore Theologiæ Germanicæ certius qvicqvam affirmare licere, qvàm qvod fuerit, ut habent verba præfationis, ein deutscher Herr / ein Priester und ein Custos, in der Deutschen Herren Hause zu Franckfurt. Idem Castalio Bernardini Ochini expositionem Epistolæ ad Roma-

Georg. Frid. Heupelii diss. de Taulero §. 9.

nos,

nos, dialogos & alia ex Italico latine vertit; suppresso-qve nomine suo vulgavit. De Castalione ejusqve scriptis plura legas apud Teissier. elog. de Scavans parte I. pag. ccxxxv. sqq. parte II. pag. ccccii. sq. ubi inter alia & de ejus versione notisqve in Scripturam Sacram. Super versione nota sunt scripta, qvæ inter Castalionem & Bezam cum non mediocri animorum aecerbitate jactata sunt. Videnda etiam præfatio Genevensium Bibliorum A. MD LIX. & Henrici Stephani ad suum N. T. Richardi Simonis Critica V. T. lib. II. cap. XXI. pag. CXIX. ac lib. III. cap. XV. pag. LXX. &c. In Scaligeranis primis hæc reperio: *S. C. Optime tractasset sacras literas, si à multis Anabaptisini opinionibus liber fuisset, & adjutus ab aliqvo.* Ad qvæ verba Tanaqvillus Faber hanc notulam subjecit: *id est Sebastianus Castalio de qvô in vitâ Iohannis Calvini satis multa. Ille ipse est, qvi Canticum Canticorum * flagitiosum esse librum dicebat. Qvidam Socinianum, qvidam Anabaptistam fuisse asserunt. Nihil ad me, Latine doctum fuisse constat.* Teste Grotio in Epistola XI. pressus impotentia adversariorum, eo redactus est, ut lignando sibi vitam qværeret.

obiit ætat. 48. A. 1563. 29. Xbr. Basileæ

alii ap. Kœnig Bibl. Hofman. T. II. Lex. Universal. p. 393.

hôc nomine perstringitur etiam alb. Gerhardo cap. 4. prolegom. ad Canticum, & ab aliis.

XXVI. TRAIANUS BOCCALINUS.

Marianus Poccalinus ab Italo qvodam scriptore appellatur, qvi se ejus Præceptorem profitetur. Relationibꝰ Trajani Boccalini nomen præfixum apparet. Cajetano illas Relationes tribuit Rhodius & Scavenius, sed Boccalino tribuendas esse docent, Erythræus, Deckerus, Laur. Crassus aliique, qvibus etiam accedit, Placcius ad Rhodium p. XLII. qvamvis ad alteram sententiam inclinare videatur in pseudonymis pag. CLXV. Librum qvi lapis Lydius inscri-

cùm lapide Lydio versæ sunt exitalicâ in latinam lingvam. iu Germanicam qvoqve. vide Shottel. p. 1105 operis de lingva German.

scribitur, Cajetano diserte tribuit Joh. Deckerus. Verum Erythræus pinacothecæ III. imagine LIX. *Scripserat*, inqvit, *librum Boccalinus, cui Lydii lapidis nomen indiderat, ubi conabatur ostendere, Regis tum omnium maximi ac potentissimi* (Hispaniæ) *opes ac vires non esse ita magnas, ut hominum ferret opinio, sed facile deleri posse, si qvis alius Rex ad eas infrigendas ac labefactandas accederet, & simul rationem, qvamobrem id fieri posset, aperiebat. Itaqve die qvodam, Venetiis, ubi se maximè tutum fore sperabat, à qvatuor vel sex militibus, ut ajunt circumventus, ad pulsandos verberandosqve homines validissimis, & adeo ab illis, sacculis plenis arenâ contusus commitigatusqve est, ut ex ea verberatione supremum vitæ diem obierit, nec Apollo potuerit, cui summum rerum omnium arbitrium tribuebat, ab eo infortunio incolumem eum præstare, nec perficere, qvin styli ad verberandam violandamque Regum maximorum majestatem aperte conversi pœnas daret, ac fortasse eam ab illius capite pestem avertisset, si res acta fuisset in monte Parnasso, ubi ille regnum obtinere dicitur. Sed quia Venetiis, qvo Apollinis imperii fines non pertinebant, eâ ille affectus contumeliâ fuerat, ideo nullam ab eo opem auxiliumqve potuit accipere.* Deckerus, ut relationes istas Boccalino tribuendas esse confirmet, provocat ad ingeniosissimas ejus notas ad Tacitum. Sed Morhofius pag. LXXXI. Polyhistoris *facile*, inquit, *appareat è commentario Boccalini in Tacitum Italicâ lingua scripto ab ingenio humiliore illum esse profectum.* Erythræus quidem parte prima Pinacothecæ pag. CCLXXII. Boccalini in Tacitum commentarios *pro singulari hominis ingenio omni elegantiâ doctrinaqve refertissimos esse non ambigit.* Verum notum est qvam proclivis in elogia sit Erythræi oratio. Adamus qvoqve Libertus, ut de Ameloto nunc nihil dicam, minoris eos facere videtur, dicens: *Boccalinum in relationibus solitas satis res insolitâ saltem methodo tractasse.*

adde & Tollium de infelicitate literatorum p 38. Deckerus sicarii manu periisse nescio qvo auctore scribit.

Quas

Quas tum deinde æstimandus detractis falsis, præstitisse ex lectione commentarii in Tacitum. At idem longe majore jure de Eberti ex parnasso relationibus pronunciari posse videtur, qvi præterea non pauca etiam fingit, qvæ possibilitatem eventus, ut ipse loqvitur, curiose examinantibus, satis inconvenientia apparent. Dictione sæpe numero utitur ea, qvam non dicam Apollo sed vel qvivis Apollinis minister refugeret. Qvam idoneus porro sit ad consilia studiosis suppeditanda, vel ex hoc ejus judicio cognoscere licet, quod relatione XXVI. pag. CLXXX. legitur: *Maximam Historiæ Ecclesiasticæ partem qvis hauriet ex lectione solius Nicephori, Eusebius enim non magni est ponderis.* Cui si quis opponat ea, quæ de Nicephoro habent Varenius rationar. Sec. I. pag. CLXXVI. Reiskius Exercitatione VII. de Imaginibus Jesu Christi, Epist. ad Andream Arnholdum pag. CXXIX. sq. Tenzelius diss. de duplici Baptismo Constantini M. §. XV. item qvod fabularum consarcinator dicatur à Vossio, levissimus & futilis Græculus ab Huetio in Origenianis &c. qvàm contra gravis & antiqvus qvamqve doctus scriptor sit Eusebius, & cui, uti supra meminimus, qvicqvid boni, qvicqvid prisci Nicephorus habet, fere unice in acceptis referre debeat. Hæc inqvam, si qvis cum illa Eberti relatione conferat, Jovem lapidem juret, illam è Parnasso minime profectam esse. Ne verò plagii Ebertus accusaretur, ipse sollicite cavit relatione XXXIX. pag. CCLXX. ubi Tacitum, qvem plagii ambitionisqve reum habitum finxerat excusaturus, contendit, *plagia in rebus politicis non esse ignominiosa, sed illa aliena, qvi sibi vindicare sciret, non minus prudentem esse, qvàm alterum, qvi eadem prius usurpasset. Alienum namqve divinare ingenium difficilius esse, qvàm proprium ostendere.* Et in præfatione: *si alibi forte, inqvit, eadem cuipiam occurrent, non librum mihi cum illo*

sciat fuisse communem, sed rationem. Boccalinum qvidem aliorum operâ in relationibus suis usum esse aliqvot locis innuit Erythræus. Pinacothecæ III. imagine LIX. *Qvemadmodum Terentio malevoli objiciebant, ipsum in fabulis faciendis Scipionis Africani, Lælii qvi dictus est sapiens, & Furii Pii operâ uti, assidueqve cum illis una scribere, ita etiam de Trajano fama distulerat, in his actis referendis homines nobilissimos socios & adjutores habere. Verum id sibi non minus laudi ducebat, qvàm Terentius, qvi glorioſum sibi putabat, id qvod malevoli qvasi maledictum vehemens existimabant.* Ejusdem pinacothecæ imagine XXXI. qvæ est Johannis Franciſci Perandæ: *Finxit in actis Parnassi* (Peranda) [*nam Trajanus Boccalinus in illis componendis eo adjutore præsertim est usus,*) *finxit, inqvam, missum fuisse Romam ab Apolline unum, collyrium nescio qvod ferentem, qvo si oculos Peranda inungeret, amissum lumen recuperaret, ac Perandam primùm nuncio delectatum fuisse, tum illum rogasse, num melius cum rebus humanis ageretur, qvàm antea esset, qvam ipse adspectum prorsus amitteret, cumqve accepisset, nihilo meliore, imo deteriore eas loco invenirí, Tum Perandam, dixisse, Qvid igitur opus est oculis? nempe ut ea videam, qvæ ne adspicerem, oculos effodi mihi juberem? Ergo maximas Apollini gratias ago habeoqve, sed collyrium istud nihil moror.* Pinacothecæ I. imagine CXLIX. *Trajanus Boccalinus Romanus novam se invenisse viam gloriatur, qvam Philosophiæ cupidi seqvantur, --- voluptuosam, amœnam, floribus herbisqve depictam* &c. *Sed revera homo inflatus ac tumidus hac in re plus aliqvanto sibi tribuit, qvàm veritas & ratio patiatur. Nam aliqvanto ante Nicolaus Francus, homo naturâ maledicus (qvod illi infeliciter cessit,) & Caporalis Poëta facetus hanc primùm philosophandi viam aperuerunt &c.*

Si reviviſceret Boccalinus, mallet opinor ſacculos iterum ſubire, qvam nomen ſuum Trigæ ante hos ſex menſes editæ præfixum amplius videre.

XXVII. SPERO SPERONIUS.

Idem Erythræus Pinacothecæ II. Imagine XVIII. plagii arguit Auguſtinum Barboſam, ſed cum ejus verba à Mor-

Morhofio p. LXXXIII. Polyhistoris referantur, ea hucadscribere supersedeo. Pinacothecæ tertiæ imagine LIII de Sperone Speronio hæc habet Janus Nicius: *Cum semper ante ipsum apertos haberet Dariæ Rovensæ, Rinaldi ex amore se afflictantis Trabisondæ, aliosque ejusmodi libros, homo omnium fere suæ ætatis doctissimus, interrogatus, cur id faceret, respondisse fertur, se furem esse literarum & inprimis cupere sua furta esse occulta, idque sibi ex sententiâ eventurum esse putare, si pauperum tuguria persequeretur, unde siquid abstulisset, propter eorum quos expilasset obscuritatem omnibus etiam futurum esset incognitum, longe secus eventurum esse, si furtificas in locupletum & illustrium virorum domos manus vellet afferre, quorum res propter ipsorum nobilitatem & amplitudinem omnium jam patent ad oculos, nam si quid mihi ex illis arrogare vellem, ac proprium facere, quicunque adspicerent, continuo clamarent furem manifestarium, qui ea pro meis venderem, quæ jamdiu in illius vel istius beatissimi hominis supellectile numerarentur.* Præterea de Sperone videatur Teissierius parte II. Elog. des Scavans pag. LXXIX. sqq. ubi & scripta ejus recensentur.

XXVIII. CASPAR SCIOPPIUS.

Quæ de hujus plagio ex ejus vita habet Thomasius, iis addi possunt verba Joh. Scaligeri in Epistolis pag. CCCXXVI. *Omnino qua lubet esse notus optat, & quidem erit, quandoquidem Ritterhusii hospitis sui nummorum ac librorum fur recta Romam se contulerit, ut non prius ἀπεσάτης quàm fur dici posset.* De Scioppio etiam intelligendus locus Epistolæ Casauboni ad Joh. à Woweren, IX. kal. Jan. CIↃ IↃ CIII. *Cum in hanc urbem secundùm veni ante annos quatuor, relatum mihi ab amicis familiaribus aliquando tuis, te, quamdiu hic versatus es solitum de me, de uxore, de liberis jocosos sermones cum nequissimo bipedum, qui Sidonio suo*

non est in ea ditione Epistolar. Græviana sed in Mericī pietate p. 90. qui Scioppium vivis coloribus depingit p. 20. seqq.

tuo tantum debet, habere. Librum *Tres Capellæ* seu admonitionem ad Josephum Justum Burdonem Scioppio* à nonnullis tribui disco ex Placcio pag. LXV. anonym. Sed hoc perspicue refutatur ab ipso Scioppio in prædia humanarum ac divinarum literarum pag. XXVIII. Ibi enim inter elogia sua illud qvoqve *Ingolstadiensium Iesuitarum in tribus capellis* adducit: *Vir illustris Caspar Scioppius pro sua egregia in DEUM pietate & adversum omnes bonos amore non ferendam ultra ratus est incircumcisi illius Burdonis Scaligeri audaciam.* Dixerat autem pag. XXVI. *Nullius mortalium testimonium de Scioppii talentis plus fidei habere debet, qvam Reverendorum Patrum de societate Iesu.* Subjicit deinde rationem, qvod Jesuitæ à se passim tuerint lacessiti. Inter Jesuitas autem Martino Delrio vendicandum esse illud scriptum, videtur ex Josephi Scaligeri (ipse enim auctor. *Vide ejus Epist. p. 793. Colomesium in Gallia Or. p. 115. & 117. atqve in Opusculis p. 155. B. Thomas. præf. ad Muret. p. 24*) confutatione fabulæ Burdonum, ubi hæc legas pag. CCCXXX. *Foriæ Scaligeri in magnâ expectatione sunt, ut augeant numerum Vindiciarum. Qvibus foriis excipiendis parata jam sunt latrinæ sua & stabulum* Tribus capellis. *Qvid magis illum suppositivium partum prodiderit, qvam Θεοπνευστὸς ἀντὶ τοῦ Μοναχοῦ ex delirio Eusebii de Essenis,* * *qvod Josephus primus monuit. Si tot affectata & tam imprudenter & tantâ securitate alienorum judiciorum ab eo auctore in illud opus inculcata hoc non testarentur, tamen tam ridicula affectatio antiqvitatis Monachismi id vociferaretur.* Sed ille ejusdem summi novitii Theologi foetus, *de qvo jam dixi, expectatur, cui titulum fecit:* Peniculus foriarum Scaligeri. *Qvi in Hierarchiâ* * *defendenda tam ridiculum se præstitit, qvid faciet in foriis?* Ex eodem loco apparet Del-

* Scioppio qvoqve adscribit Andreas Dinnius in Epistolis Georgii Rich. II p. 793. sed ejus esse non putat Casaubonus. Rectius Corona Regia (de qva Morhof. I. 78. Scioppio tribuitur in mensibus vernaculis Christiani Thomasii parte II. p. 588.

*Hanc sententiam defendit Delrio & Jesuitæ communiter, acerrime qvidem Serranus lib. 3. Trihæres. & in Minervali c. 23. sqq. qvam præter Scal. Druf. Vallesius prolixe confutat Hankius I. de Rom. Scriptor. p. 72. sqq.

* perstringit Martini Delrio Vindicias Areopagitæ. Hunc Martinum cum Marco Antonio confundit Eybenius.

Delrio qvoqve tribuendum esse libellum; qvi Anno MDCIX. in 12. Antwerpiæ ut videtur, sed ut titulus habet Metelloburgi Mattiacorum apud heredes Matthianos prodiit hâc inscriptione: *Peniculus foriarum elenchi Scaligeriani, pro societate Jesu, Maldonato, Delrio. Auctore Liberio Sanga Verino Cantabro ad Clarum Bonarscium Belgam.* Caspar Barthius suo exemplari præter alia hoc distichon inscripserat:

Peniculum foriis Batavorum stellio fecit
Nil reperire potest dignius ore suo.

XXIX. RENATUS VERDÆUS.

Sub hoc nomine mysteria patrum Jesuitarum gallice edita sunt, qvæ post Anglicam versionem auctor ipse latina reddita A. MDCXXXI. atqve iterum cum Auctario Anno MDCXXXIII. emisit. Deniqve ab alio in germanicam qvoqve lingvam libellus iste ex priore latina editione conversus est. Quod non ferendum amplius ratus Laurentius Forerus Jesuita ei partem mantissæ suæ objecit, cui brevi intervallo post sub eodem Renati Verdæi nomine statera mantissæ Laurentii reposita fuit. Mysteriorum illorum auctorem amicum suum intimum vocat Andreas Rivetus capite XII. Jesuitæ Vapulantis. Sed ipsum Rivetum mysteriorum ac stateræ auctorem fuisse non modo anagrammatismus indicat, sed & certissime confirmat, qvod utrumque scriptum in Operum Riveti Tomo III. sub finem hodie legitur.

XXX. SILVESTER PETRA SANCTA. Jesuita.

Hujus notas in Petri Molinæi Epistolam ad Balzacum castigans Rivetus, plagii eum accusat his verbis

cap. V. Jesuitæ Vapulantis T. III. pag. 505. *Citas Lutheri Tomum VII. nec tractatum indicas, nedum caput aut paginam, ubi dixerit, se primum fuisse cui DEUS ista revelaverit. Nempe quia tu apud Lutherum hæc non legisti, sed ab aliis objecta desumsisti. Eodem enim modo citantur in libello Lussonensis olim Episcopi nunc eminentissimi Cardinalis de Richelieu, à quo video non pauca te mutuatum fuisse, quemadmodum ille aut potius sacerdos Anglus qui tum ei fuit à manu ex laciniis Anglo papistarum.* conf. p. 508. 511. &c. Capite XXVIII. p. 579. *Quod non ignorare se dicit, illud ignorasse se ostendit, nec ununquam legisse Cuspiniani verba, sed ex lacunis | Sterani hausisse, quæ descripsit.* Scilicet hoc solenne Pontificiis est, ut undiquaque furentur, quæ adversariis objiciant, ne mancipia pauca lectionis esse videantur. Sic non ita pridem desperatissimum Apostatam Christianum Franzium stultissimi plagii convicit maxime Rever. Dn. D. Valentinus Alberti im gründlichen Gutachten über Frantzens unbetrüglichen Weg des Lebens p. 95. sqq. Neque vero hoc loco prætermittendum aliud plagii proprie sic dicti genus, quod in ejusdem libri c. IV. Jesuitis Rivetus objicit, quod sæpenumero liberos invitis parentibus eripere laborent, vel eripiant quoque, facturi ex iis filios Gehennæ duplo pejores, quàm ipsi existunt. Ac de hoc serio conquestum fuisse Petrum Ærodium pontificium hominem in libello de patriâ potestate ad Filium Pseudo Jesuitam.

XXX. JACOBUS AUGUSTUS THUANUS.

ejus laus Scal. p. 69. Epist. & prolegom. ad Euseb. Pithœi

Vir summus Bibliothecæ Regiæ Magister & Parlamenti Parisiensis præses, ut omnes præclarissimi Historici partes compleret, non modo elegantia scribendi &

pro

pro varietate rerum judicio usus est, sed & veritati inprimis studuit, ut ab hâc, omnia, qvæcunque in annales suos referret, unicè comprobarentur. Quemadmodum itaque in Gallicis rebus, iis præcipue, quibus ipse interfuit accurate summaque fide describendis operam collavit suam, ita, ut exterorum historiam non dissimili diligentia aut fide consignasse videretur, domesticos cujuscunque gentis historicos consuluit, eosqve secutus est, verbis etiam ipsorum non raro retentis, unde stilum alicubi diversum in Thuani historia deprehendi observavit auctor Bibliothecæ Politicæ contractæ, quæ Bibliographiæ curiosæ, quam supra allegavimus, subjicitur; In Genevensi porro editione, ne, per qvos profecisset auctor ingenuus, dissimulasse posset videri, singulis libris indiculum auctorum præmisit, quibus in unaquaqve Historiæ parte concinnanda usus fuerat. Quæ hoc loco à me adducenda fuerunt, ne aliquis de plagio interpretaretur, vel Conringii * verba de urbibus Germaniæ §. XV. *Chytræum sequitur in plerisque rerum Germanicarum narrationibus, verbis ejus non nisi leviter mutatis* vel si quæ similia apud alios offenderit. Quam ægræ autem noctuini Papistarum oculi veritatis radios ferre possint, testimonio est, quod Thuanum non modo mutare aliquot Historiæ loca coëgerint, uti ex ejus Epistola ad Petrum Fabrum Aruernum testatur Colomesius pag. CXLVIII. Galliæ Orientalis, sed & non pauca in iisdem Historiarum libris expurgari jusserit. Index Hispanicus pag. DCLXXVIII. sqq. Alii politicis eum ideo accensuerunt, quos Zelotæ pro hæreticis atqve atheis diffamare solebant, quorum ipse Thuanus meminit libro XLIV. LVI. & XCV. Vide & de iis Mercur. Gallo Belg. ad A. MDLXXXIX. pag. 120. 122. Tholosanum de Rep. pag. 171. Voëtium T. 1. Selectarum pag. 117. 123. 189. Conring. de Civili prudentiâ cap. 2. Beckmann.

Opera Paris. 1652. in 4. edita p. 755. B. IO. Voss. præf. de Histor. latin. ubi qvæ post obitum Thuani edita sunt, ut nimiam fidem mereri notat &c. Grotius Epist. Casaub. Epist. &c. Vitam suam ipse Thuanus locupletissime descripsit.

* locum allegat Eybenius p. 718.

Filio qvoqve Thuano Historiæ paternæ veritas nocuit. Vide de Patin. Epist. 25 Varillas reponss. ad Burnetti judic. p. 77.

mann. Polit. sub initium. Hornbeck. Miscell. 5. p. 13. Hoffmann. T. 2. Lex. Universal. &c. Insignem locum ex Ebermanni Irenico profert B. Dannhauerus T. 1. Theologiæ Casuisticæ pag. 509. *Ex libris Historiarum nemo Thuanum jure Catholicum dixerit, Legimus & nos cum olim à capite ad calcem, sed in negotio religionis haud paulo periculosiorem invenimus, quam ipsum Calvinistam Sleidanum, *atqui utinam non cum perniciosissimo plurimorum experimento idem adhuc cerneretur. Memini ante annos 26. Justum Meyerum JCtum Argentinæ Zelosum Lutheranum de Thuano cum aliis ibidem opinari, quod in confessione Augustana obierit. Unde qvid mirum, qvod eum Catholici explodant? noster certe videri non potest, cum tot in eum incurrant, qvæ ipsum, ut loqvitur Forerus in Symb. Luther. p. 703. hæresi à vertice usque ad talos delibutum pessimæqve fidei historicum fuisse palam faciant, ut sigillatim annotarit in opusculo de ejus historia Job. Baptista Gall. JCtus Ingolstadii Anno 1641. impresso, ex quibus omnibus odium internecinum Thuani in Romanam Catholicam religionem maximis radiorum stricturis emicat. Dummodo enim aliquis hostis Papæ Cardinalium & Cleri fuerit, licet cætera hæreticissimus & sceleratissimus, jam dignus Thuano visus fuit, qui super sidera laudibus extolleretur.* Conringius adversus Ebermannum scripsit, sed jam non est ad manus. E Grammondi autem tertio Historiarum libro, ubi ad A. MDCXVII. Thuani elogium legitur, illa huc verba apponam, qvæ de ejus religione agunt: *Cæterum privilegia Ecclesiæ Gallicanæ & Regum auctoritatem dum acrius vindicat vir politicus, Romæ suspectatur. Iniqua suspicio, qvam mendacii manifestam facit, nedum vita exegit in fide Catholicâ & Romanâ magno virtutis Christianæ exemplo, sed & ipsius testamentum, qvo palam profiteretur fidem Orthodoxam.* Hæc Grammondus Historicus ad odium usque veritati addictus

* hunc qvoq; laudaverat Thuanus lib. 12. lib. 16. & ad fin. libri 17. adde Teissier. elog des Scavans parte 1. p. 114. sqq. & parte 2. p. 397. Dn. D. Alberti gutachten über Remond. p. 54. sqq. Joh. Daniel Ernst. Gemüths Ergötzlichkeiten p. 91. sqq Illustr. Seckendorf. prolegom. de Lutheranismo contra Maimburg. Inter ἀνέκδοτα Freinshemiana. Spizelius p. 363. templi honoris refert prælectiones in Laur. Surii commentarios, in qvibus ostensâ illius fraude ac impostura Sleidano veri Histo-

ctus & sacri Regis Consistorii Senator, quæ longissime distant ab iis, quæ Suita Ebermannus eructavit. ...rici nomen encomiumq; asseritur, Statura

in Germaniâ mutatum magna fide retulisse dicit Ruarus p. 98. Epist. Videndus qvoqve Zeilerus parte 2. Histor. celebr. p. 141. A Jacobo Sturnio adjutum se fatetur Sleidanus in præfat. qvod repetit Teissier. parte I. p. 75. sq.

XXXI. JACOBUS PHILIPPUS TOMASINUS.

Jam supra hujus meminimus, cum de Funccio agerемus. Sed qvæ ibi de elogiis Tomasini ex Colomesio affirmavimus, de pluribus ejus scriptis dicere jubet Caspar Hoffmannus Epistola ad Reinesium XI. Cal. Octob. Anno MDCXL. *Joh. Rhodius genere Danus ante XVI. annos Altdorffium transiens amicitiam contraxit mecum, qvam etiamnum fovet. Vixit interea semper Patavii variis deditus studiis & ὡς φήμη φημίζει auctor scriptorum illorum quæ hactenus sub nomine Ph. Jac. Tomasini prodiêre. Inter hæc habeo elogia clarorum virorum, de Donariis, vitam Livii & Petrarchæ, qvos facile ex Italia procuravit tibi Fleischmannus tuus. Tomasinus ille Patavinus est, Canonicus Regularis D. Georgii in aiga & cœnobiarcha D. Mariæ in Vantio, hodie Episcopus Æmonæ, qvi istis scriptis cardinalatum dicitur ambire, promisisse etiam Rhodio Canonicatum in summo templo Patavii à Domo.* Idem in alia ad Reinesium Epistolâ VII. Id. Julii A. MDCXLIII. *Joh. Philippi Tomasini scripta vidistine? Sunt Johannis Rhodii. Hinc adeo pueri bibliopolarum Venetorum digito illum monstrantes, Hic est ille, dicunt, qvi libros edit sub nomine Tomasini.*

XXXII. JACOBUS OISELIUS seu OUZELIUS.

Quæ ad Minucii Felicis Octavium pag. 26. de naso iræ sede commentatur, manifeste descripsit ex capite I. Lectionum Theocriticarum Isaaci Casauboni, cujus ibi nullam mentionem facit. Si id agerem, possem addere egre-

gium locum Casaubono non notatum ex venustissimi Heliodori Æthiopicis pag. 124. edit. Bourdelotii: ἡ ἡδὺς εὐαγγελία θυμῷ, καὶ οἱ μυκτῆρες ἐλευθέρως τὸν ἀέρα εἰσπνέοντες. Possem etiam alia in hanc sententiam, sed memini alienissima ab instituto meo esse. Ouzelio autem recentiorum scrinia compilare solenne esse animadverti, adeoq; miratus sum qvod nihilominus Fulvio Ursino de plagio dicam dixerit præfatione ad Minucium. *Balduini Junii-*

Conf. Thomas. §. 583. plag. *qve nominibus dissimulatis Ursinus annis plus triginta post ex Petri Ciacconii schedis novam Arnobii moliens editionem sibi hanc judicandi provinciam arripuit, qvasi ipse princeps simul Minucii ac ejus fœtus index foret. Qvod malo more ac inanis gloriæ affectatione ab eo factum.* Optime scilicet Christophorus Aulæus avorum nostrorum memoriâ cecinit:

Qvæ vitare jubes alios, ne feceris ipse,
Turpe est doctorem cum sua culpa notat.

Cui sententiæ gemina collegit doctissimus diffusæqve lectionis vir Christianus Daumius ad Catonem p. 151.

XXXIII. EUGIPPIUS.

Monasterii Luculanensis Abbas, abbatis Severini & Gelasii Papæ discipulus, ad qvem Fulgentii & Dionysii exigui Epistolæ exarata extant, qviq; Severini illius vitam conscripsit Isidoro memoratam, editam inter opera Marcelli Velseri p. 635. Dedicationem Eugippii ad Paschasium Diaconum vulgavit Henricus Canisius T. VI. Antiqvar. Lectionum. Ex ipso Eugippio colligi potest vitam Severini ab eo scriptam esse circa Annum Christi DX. Paucis annis post consulatum gessit Marcus Aureli-

T. I. Opp. Cassiodori edit. Roto magis 1679. fol. us Cassiodorus, qui divinarum Lectionum capite XXIII. *Convenit etiam,* inqvit, *ut bresbyteri Eugepii opera necessario legere debeatis, qvem nos qvoqve vidimus virum nos usqve adeo*

*adeo secularibus literis eruditum, sed scripturarum divinarum lectione plenissimum. Hic ad parentem nostram probam virginem sacram ex operibus S. Augustini valde beatissimis * quæstiones, ac sententias, ac diversas res deflorans in uno corpore necessariâ nimis dispensatione collegit, & in CCCXXXVIII. capitulis collocavit.* Unde Lambecius libro II. Bibliothecæ Vindobonensis capite 1. contendit eundem esse Eugippium Severini vitæ scriptorem cum illo, cujus excerpta ex Augustino collecta inqve duas partes digesta habemus, ut frustra Africanum qvendam Eugippium sibi finxerit Joh. Heroldus, qvi vitam Eugippii Africani Tomo II. ejus excerptorum Basileæ Anno 1542. à se editorum addidit, qvem deinde secuti sunt Bellarminus, Rosweidus, Miræus, Velserus, Labbeus, Olearius & ipse qvoqve accuratissimus Cave Velserus insuper castigandum Trithemium existimavit, qvasi duos Eugippios temere inter se confundisset. Scilicet existimarunt, Augustinum, qvi Ater fuit, non ab alio qvam Africano abbate deflorari potuisse. Contra in eundem modum Cl. Reinesius p. 438. Var. Lect. confundit Simeonem S. Mamantis in Xerocerco præpositum cum Simeone Metaphraste, Cl. Placcius in Pseudonymis p. 143. Raynaudum secutus diversos facit Ambrosium Ansbertum Monachum & Authpertum Abbatem S. Vincentii, errorisque hoc nomine arguit Olearium, quasi duos illos male confuderit. Sed cum nullus fuerit Ambrosius Ansbertus Monachus, verum Autpertus Monachus factus postea sit Abbas, rectius à Guilelmo Cave in Chartophylace Raynaudus erroris accusatur. Qvemadmodum vicissim Placcius p. 199. recte deseruit Raynaudum, qvi Johannem de Gesten à Johanne Gersone perperam distinxerat, de qvo Gersone multa Launojus parte II. Regii Navarræ Gymnasii p. 480. sqq. Ut hoc qvoqve obiter moneam, Cl. Cave pag. 346. Chartophylacis cum Trithemio de S. E. Hottingero

Johannes Garetius de Eugippio allegat Chiflet. ad Fevardum p. 332. Baron. ad. A. 504. T. 6. Annal.

* ita *Valde summus Valde optimus* ap. Plin. Medicum vide Barth. II. 14. Advers.

p. 15. annale&. & aliis Nicolaum de Clemangis Archidiaconum Bajocenſem facit, at Launojus p. 570. l. c. *Quibus*, inqvit, *monumentis fulti, nec ipſi confirmant, nec, opinor, confirmari poſſunt. Cœnobii S. Victoris & Regiæ Navarræ codices MSS. Archidiaconum minime objiciunt, ſed Cantorem, etiam illi, qui poſt auctoris obitum deſcripti ſunt.* Idem Cave p. 378. Gaufridi Buſardi commentarium in VII. Pſalmos pœnitentiales editum eſſe dicit à Launojo p. 627. cum ibi non commentarius ille, ſed pia tantum oratio de vita ſua, qvam commentario Bouſardus præmiſerat, reperiatur. Forte non peſſime feciſſe videbor, bonis hominibus, ſi leviſſimas etiam maculas in facie alioqui elegantiſſimâ detergere alloboravi.

XXXIV. PETRUS HISPANUS.

Bartholomæus Keckermannus in præcognitis Logicis pag. *60. Synopſis illa Pſelli in libros qvinqve digeſta multa habet, quibus Logicæ Studioſi non parum juvari poſſint ob ſingularem ſtyli etiam græci perſpicuitatem. Iisdem verbis Logicam exorditur qvibus Petrus Hiſpanus-- In cætero methodus Hiſpani per omnia eſt eadem, ita ut de verbo ad verbum deqve capite ad caput Hiſpanus ſuam ſummulam ex hoc Pſello ſuppilarit, & qvæ jam Hiſpani dicuntur, ea Pſelli dici debeant. ---- Cum in Pſellum incidiſſet clam, forte putavit vel à nemine lectum, vel lectum non iri, qvæ ſpes Petrum fefellit. Ideoqve ei jam nihil ſed Pſello vero auctori debetur, qvicqvid in ea tam celebri olim ſummulâ Hiſpani fuit laudis, qvæ profecto non eſt exigua* &c. conf. pag. LXVII. & CLVIII.

edit. A. 1598. Hanov. in 8.

XXXV. PAULUS MANUTIUS. & XXXVI. LAUR. VILLAVICENTIUS.

Ex

Ex eodem Keckermanno adscribam illustrem de furto literario locum, qvi legitur pag. CLVII. sq. dictæ editionis, nam in editione A. MDC. XIII. nescio, ob qvam causam est omissus. *Non tantum iis bonis insidias strui, qvæ fortunæ appellare solemus, sed his qvoqve, qvæ animi sunt & mentis propria vel saltem gloriæ, qvam exingenii & animi bonis qværere solemus, documento esse possunt, varia ab omni seculo exempla, qvæ tamen non scio, an ullo seculo fuerint frequentiora & plura qvàm nostro -- notavimus exempla non pauca, qvæ odiosa cum sint, præstiterit sepelire. Habuimus ante exemplum evidens in Petro Hispano -- Sed illud est memorabile qvod in Erasmi adagiis tentatum fuit non ita pridem, namqve hoc incomparabile opus cum Erasmo inviderent Itali, alibi recuderunt sub alieno nomine. Atqve hoc Pontificiis inprimis solens hodie atqve consvetissimum est, ut ex multis exemplis probari potest, è qvibus unicum tantum hôc loco referam, qvod etiam summus ille immensæ lectionis vir Iob. Reinboldus Anglus adducit de Laurentio Villa Vicentio, qvi eruditissimum opus Andreæ Hyperii de ratione studii Theologici totum suppilavit, & sub suo nomine mutatis tantum atqve omissis illis, qvæ Pontificios tangebant, plagiarie edidit.* Hæc verba ante oculos habuisse videtur Johannes Heidfeld, cum in Sphinge Theologico Philosophica scriberet cap. XXV. *Itali cum memorabile opus Adagiorum uti & Apophthegmatum Erasmo nostro inviderent, alibi sub alieno nomine recuderunt. Eruditissimum opus Cl. Andreæ Hyperii de ratione studiorum Theologic. Pontificii totum suppilarunt, scelerate mutatis mutandis sibi attribuerunt. Valde hoc ipsis consvetum & solens est, sic vos non vobis Vellera fertis oves.* De adagiis qvod affirmat Keckermannus, nec dum qvicqvam reperire potui præter ea, qvæ habet Erasmus in præfat: qvod sibi qvidam litem super iis moverint, qvæ tamen alio pertinent, uti illa qvoqve, qvæ de Rhodigino refert Morhofius p. 252. Polihyst. Qvi et-

iam p. 250. notavit Pontificios Apophthegmata Eraſmi eraſo ejus nomine per invidiam tribuiſſe Paulo Manutio. Præter editionem Colonienſem A. 1666. qvam memorat Morhofius, eſt mihi Veneta Apophthegmatum Eraſmi editio Anni 1590. 12. qvæ hunc titulum præ ſe fert: *Apophthegmatum ex optimis utriusqve lingvæ ſcriptoribus libri VIII. Pauli Manutii ſtudio atqve induſtria, doctiſſimorum Theologorum conſilio atqve ope ab omnibus mendis vindicati, qvæ pium & veritatis Catholicæ ſtudioſum lectorem poterant offendere.* In præfatione Aldus Pauli filius *Hujusmodi*, inqvit, *ſunt Apophthegmata, qvæ nunc expurgata deletis Pontifico Max. approbante, qvæ piorum mentes aliqvo modo offendere poterant, edimus.* Venetani hanc editionem expreſſit Colonienſis. De Villavincentio Hiſpano Colomeſius p. 10. Galliæ Orientalis, *Hic* inqvit, *ex Andreæ Gerardi â patriâ Hyperii, Opere de ratione ſtudii Theologici ſuum compilavit, ut notat eruditiſſimus Anglus Ioh. Rainboldus lib. I. cap. 4. tractat. de Romanæ Eccleſiæ Idololatria. Sexcenta*, ſubjungit Colomeſius, *hujus generis furta notavi, aliqvando, ſi DEUS adſit, edenda.* Deum non adfuiſſe, aliqvis ſuſpicari poſſit, qvod his XXIV. annis qvi ab ejus libri editione interceſſerunt, non tantum furta illa obſervata, ſed & alii, libri complures qvos in eo opere paſſim liberaliter promittit, nusqvam comparuêre.

corſor. deludit hiantes

XXXVII. PETRUS RAMUS.

Hunc qvoqve Keckermannus capite qvinto præcognitorum Logicorum prolixe plagii in Vallam, Rud. Agricolam, ſed Vivem inprimis commiſſi arguit. Nos ea tantum verba huc adſcribemus, qvæ in editione A. 1613. ſunt prætermiſſa* *Ita nimirum Petrus Ramus Ludovicum Vivem expreſſit per ſingulos Organi libros, (ſolos Sophiſticos elenchos excipio, qvos Vives probat, improbat Ramus) Interim*

* at in editione A. 1598 leguntur p. 160 ſq.

terim eum nusqvam citat, nusqvam eum, qvod legerim mentionis honore dignatur, cujus non tantum sensum, sed & verba nonnunqvam secutus est, an hoc illud ingenuum est profiteri per qvem profeceris? si doctoris, si magistri tui nomen supprimas, interim ejus retineas summas qvasqve hypotheses, qvas ego hic, Lector candide, non omnes apposui, ut vitarem prolixitatem, sed nihil aliud optem, qvàm porro Vivem à te cum Rameis dogmatibus conferri in Grammaticis, Rhetoricis, Physicis, exclamabis, sat credo, atqve indignaberis, atqve incipies mecum scholas Rami Ludovici scholas vocare, res plerumqve & in genere eadem sunt, stylum addidit declamatorium & Catilinarium, ad qvem trahebatur per ingenii sui granditatem. Qvod si Ramus ingenue hæc fateretur, & vivi accepta referret, condonaremus eqvidem id ei facile, at qvia hoc non facit, qvia etiam in Epistolis suis passim magno fastu atqve ambitione sibi hæc tribuit atqve arrogat, omnes omnium mundi partium Philosophos appellitans, nemo vitio dabit, si conemur ostendere suum cuiqve auctori tribuendum. De cætero Keckermannus in præcedenti capite Rami doctrinam omnibus ingenii nervis intentis oppugnaverat, qvæ qvam acres Ramo adhuc superstite adversarios experta fuerit, vide apud Launojum de varia Aristotelis fortuna cap. XIII. & XIV. Neqve ejus antagonistæ qvieverunt, donec anno superioris seculi LXXII. infelix Aristotelis hostis in laniena Parisiensi misere interimeretur.

Vix Priamus tanti totaqve Troja fuit.

XXXVIII. IOHANNES BERNARTIUS.

In libris duobus de utilitate legendæ Historiæ, qvos Lipsio inscripsit, uti dictionem Lipsii ad ineptias usqve affectat, ut inter simias Lipsianas Drusium, Petrum Gruterum, Josephum Laurentium, Priolum &c. vel primo loco stare possit, ita non tantum flosculos Lipsii, sed & veterum Auctorum dicta, qvæ Lipsius scriptis suis inspergere

gere ſolet, paſſim ſublegiſſe videtur. De ejus notis in Statium Barthius VI. 4. Adverſariorum *Demas*, inqvit, *ſcripta Lexicographorum, demas qvæ ex Lipſio & aliis talibus, præcipue vero Natali comite fabulas & ejus generis aliis exſcripſit, plane parum relinqves ipſius operæ debitum.* Nihilominus in ſuo ſad Statium commentario non ſemel Bernartii operam laudatBarthius,qvanqvam imparem Statio congreſſum fuiſſe repetat p. 2359. Adverſar. Joſephus qvoqve Scaliger. p. 717. Epiſtolarum: *Strenuam certe operam in Poëtam illum bonus & eruditus ille Bernartius navavit, ita, ut ejus diligentia & tuum* (Wowerio ſcripſit) *& meum minuerit laborem.*

XXXIX. NICOLAUS FULLERUS *Anglus.*

A. Johanne Druſio plagii poſtulatus ita ſe defendit p. 776. ſqq. Miſcellan. S, ut injuria ei à Druſio illata eſſe videatur. Lingvarum orientalium callentiſſimum & de ſpeciminibus per doctiſſimos Miſcellaneorum libros celeberrimum vocat Reineſius tractat. de lingvâ Puniçâ. Vitam ſuam ipſe recenſet dedicatione Miſcellaneorum ad Henricum Wallopum.

edit Argentorat. 1650. 8.

XL. HENRICUS KITSCHIUS *Lipſienſiis.*

B. Rappoltus de plagio differens ad locum Horatii, qvo Celſus tanqvam cornicula furtivis coloribus ſuperbiens traducitur, ex Henelii otio Uratiſlavienſi refert Kitſchium qvatuor Paſſeratii diſcurſus politicos pro ſuis edidiſſe. Illius Kitſchii Symbolologiam Heroicam Hexaglotton aliqvando verſavimus, in cujus poſtfatione,

produit Lipſ. 1607. 8.

ōne, uti ridicule appellat, prelo paratam se habere ait Anthologiam Gvevarrianam ex Horrologio Principum per M. Ioh. Wankelium ex Hispan. latine verso. Ad calcem appendicis edere se minatur juvenilia Academica, Cæsareologiam à Cæsare ad Rudolphum II. Philologiam Budæi notis perpetuis illustratam. Lud. Gvicciardini Horas recreationum ex Italico latine versas. Διάξοδον aphoristicam de disciplina & ejus differentiis. Ori Apollinis Hieroglyphica emendata cum marginalibus & indice. Lexiphanem seu antiqvarium obsoletorum vocabulorum. Cosmographiæ compendium ex Italico latine factum. Miscellaneorum Tomos II. Histor. Polit. Ethic. & Oeconom. Dicta Chronologica in singulos annos. Symbola Heroica Principum Anhaltinorum. Phthonologiam, seu speculum invidiæ. Dicteriologiam, seu elenchum scite & falsè ab imperatoribus, Regibus & aliis illustribus viris dictorum. Discursum de Bibliotheca instituanda, eaqve singulis annis amplificandâ secundum vitæ genera Theolog. Polit. & Oeconomicum. Horum nihil vidimus, neqve admodum videre desideramus, voluimus tamen vel titulos hic apponere, ut indè hominis vani in promittendo liberalitas constaret, qva plurimos ætate nostra divites esse videas, qvī infinita polliciti, anteqvam mater conceperit, Lucinam ad auxilium implorant.

XLI. JOHANNES BENEDICTUS.

De hujus Bibliis ita Arnholdus Bootius indice Auctorum animad versionibus suis sacris, præmisso: *In Annotandis locis, ubi ab Ebraico dissentit Latina, sæpe mancus est, & jejunus, ac plerumqve potioribus & capitalibus penitus omissis exigua qvædam & minoris momenti attigisse contentus. In iis autem, qvæ adnotat, permulta à Pagnino desumta sunt* prodiere Londini 1644. 4o.

atqve ex ipsius interpretatione ad verbum aut parva cum mutatione transcripta, ita tamen ut non pauca qvoqve sint, in qvibus à Pagnino penitus desciscit, sed in qvibus nullum operæ pretium deprehendi. Paulo lepidius est, qvod de Renati Benedicti Doctoris Parisiensis versione Bibliorum Gallica narrat Rich. Simon libro II. Criticæ Historiæ V. T. sub finem: *Cum vidisset is homo novam Logicæ Aristotelicæ versionem valde probatam fuisse, etsi prorsus linguæ Græcæ ejus auctor imperitus esset, pariter Gallicam versionem juxta Hebræum & Græcum, etsi neutrius linguæ peritum se libens ipse confiteatur, procudere aggreditur. Qvorem facilius perficeret, Genevensem accipit versionem qvibusdam vocibus immutatam & Synonymis substitutis. Infeliciter vero accidit, ut cum folia jam impressa cum suis ipsius emendationibus Typographis traderet, non exacte admodum istæ emendationes excusæ fuerint. Qvocirca Theologi Parisienses inventâ in iis Cœnæ voce & qvibusdam aliis similibus Genevæ prognatis palam hanc versionem condemnarunt, utut nomine unius è collegis ipsorum insignitam. At ultro crimen illud auctor confessus est.*

XLII. RAIMUNDUS LULLIUS.

Res prorsus risu digna, ait de hôc Cardanus, omnem velle tradere doctrinam, nullam nosse. Qvod non amplius mirum est, si Petro Montuo credamus, Lullium omnem artem suam ex Arabe Abezebron manifesto plagio cepisse, uti Gabriel Naudæus testimonio suo comprobare videtur. Sed Cl. Morhofius lib. II. c. 5. Polyhistoris utriusqve Montui & Naudæi loca adducens, ut eis fidem habeat, negat adduci se posse. *Nam Naudæus*, inqvit, *in Lullium eo in loco præter rationem iniqvior est, ac alia manifesto falsa de illo refert. Qvid vero Petrum Montuum ut hæc scriberet, impulerit, ignoro. Nam hujus senten-*

de Lullio singulari programmate egit Excellentiss. D. Ioh. Schmidius Eloqventiæ in Acad. Lipsiensi Professor. adde Conring. de Medicina Hermetica p. 380. Cardani locus est 15. Subtil. p. 737.

tia

sic rationes nullas adductas video, neqve unius Viri fide recipi illa possunt, qvi forte Arabica non legit vel intellexit, vel plane talia confinxit, cum & ipse Lullium totamqve illam artem contemtui habeat.

XLIII. HUGO GROTIUS.

Longe minorem fidem meretur, qvod reperio in Jacobi Sponii itinerario, qvi id mysterii a Vatzio acceperat, Grotium in libro de veritate Religionis Christianæ maximi roboris argumenta ex Arabicis scriptoribus sublegisse, inprimis vero ex opere cujusdam viri, qvem latini hæreticum, Græci sanctum habeant, qvi adversus Muhammedanos & Judæos Christianam religionem propugnavit. Majore ingenio atqve eruditione fuit Grotius, qvam cui opus fuerit ad Arabur. lacunas secedere, ut inde qvicqvam turaretur, qvod cum alia ejus monumenta tum notæ aureo isti libello postea subjectæ manifestum faciunt, cum qvibus non modo locis formisqve diversis pluries latine publicam lucem adspexit, sed *ut de Germanicis duobus & Gallica versione non loqvar, editus est in Anglia Anglice. Vertit eum Græce Pastor legati Anglicani. pontificii autem nunc Persice vertunt, ut Mahummedistas, si DEUS adspiret, faciant Christianos* uti paucis post primam editionem annis in literis ad Episcopium ipse Grotius testatus est, qvi Episcopius in Epistola qvadam ad Grotium nonnulla in ejus libro de Ver. Relig. pœmate expresso animadvertit. Qvemadmodum vero Sponius ubi ex ejusdem Vatzii relatione dixerat Gaffarellum Curiositates suas inauditas ex duobus Arabicis libris de Talismannorum principiis & compositione totas descripsisse, mox addit, cum Gaffarellus vir doctus fuerit, eam se suspicionem vix esse admissurum. Ita nos, qvod ad Grotium attinet, assensum eo magis retrahere possumus.

libro 2. p. 54. edit Germ.

vide Epist. Arminianor. p. 748. sq.

ibid. p. 630.

de Gaffarello Colomesius in Gallia Or.

XLIV.

XLIV. M. ANTONIUS MURETUS.

Non majore jure Muretus à Lambino furti literarii accusatus fuerat, à qvo crimine purgat se libri I. Epistola 77. & lib. II. Epistola 5. Qvæ Mureti Epistolæ cum in omnium manibus sint, loca ex iis describere supersedeo. Cl. Morhofius p. 71. Polyhistoris dicit Campanellam referente Ernstio Muretum libri de tribus impostoribus auctorem habuisse. Ernstii locus est lib. II. Variar. Observationum capite 36. Sed cum Vöetiô Maxime Rever. D. Joh. Fridrich Mayer in betrübten und getröstcten Kind Gottes p. 18. Poggium Florentinum à Campanella pro nefandi illius libri auctore habitum fuisse testatur. Qvicqvid sit de Campanella, injuriam fieri Mureto hac incusatione non dubito, qvi facile etiam patiar me persvaderi, nullum unqvam de tribus impostoribus librum extitisse, præter disputationem *Simonis de Tornaco*, qvam de humilitate Doctrinæ Christianæ Parisiis habuisse fertur, in qva scelestus ille neqvam tertiâ die post Epilepsia punitus tres magnos impostores induxit. Vide Gregor. Michaël. not. 75. ad Gaffarelli curiositates inauditas. Ad hunc Simonem respexit auctor æqve impius detestandi libri Cracoviæ A. 1558. impressi, qvi *Simonis religio* inscribitur. Mersennus p. 1829. in Genesin dicit libri de tribus impostoribus excerpta haberi apud Cardanum lib. XI. subtil. *qvod tamen nondum potui videre*, ait Voëtius T. I. select. p. 199. Nihilominus à Campanella lectum illum librum fuisse Voëtius existimat, qvi p. 224. refert, Almarianum qvendam Nachtegailium ob blasphemias de tribus impostoribus Hagæ effutitas ab Ordinibus Hollandiæ in exilium pulsum fuisse. Eadem blasphemia Friderico II. Imperatori a qvibusdam tribuitur, cujus & Voëtius meminit p. 216, qvod

ta-

tamen mendaciſſime ei affictum | contendit Petrus de Vineis. Apud Morhofium p. 316. mentio Epiſtolæ Salvii legati Svecici celeberrimi ad Medicum Iudæum de Caſtro, qva eum rogat, ut librum de tribus impoſtoribus qvovis pretio ſibi comparet.

XLV. MATTHIAS BERNEGGERUS.

Huic non inſolens fuiſſe videtur aliorum compilare ſcrinia, & ſe ornare aliorum plumis. Qvæ Muretus habet lib. VIII. Variar. Lect. capite XXI. de mulieribus eruditis, qvod libidinoſæ plerumqve eſſe ſoleant, diligenter transſcripſit in qvæſtionem XCVIII. ad Tacitum, nulla Mureti facta mentione. Plura hujus generis notare poſſemus, ſi neceſſarium eſſe arbitraremur. Morhofius p. 348. Polyhiſtoris miratur, qvod pleraqve illa, qvæ in præcognitis Logicis Keckermannus adverſus artem Lullii dixerat vir, doctus ἀυτολεξεὶ deſcripſerit.

de eo VVitte in Philoſ. p. 486. Spizel Templ. Honoris &c.

XLVI. LEO ALLATIUS.

Ab eodem Morhofio plagii argui videtur Allatius libro de Livii Patavinitate p. 86. *Ne qvid dicam de barbariſmis, qvos in Virgilio ineptus veterum & recentiorum auctorum cenſor Claudius Verdierius deprehendere ſibi viſus eſt, è qvo hæc ut multa alia depromſit Leo Allatius in libro de erroribus magnorum virorum indicendo.* Qvod planius edifſerit in Polyhiſtore p. 179. *Neſcio tamen, qvi factum ſit, ut Leo Allatius diſceptatione ſua de erroribus magnorum virorum indicendo Romæ A. 1636. edita non exiguas ex hujus Verdieri cenſione lacinias in hunc ſuum libellum tranſtulerit, laudato interdum, ſed diſſimulanter auctore, interdum præterito.*

Ejus ſcriptorum Catalogo & ſeorſim prodit & habetur in apibo urbanis p. 176. & ſub finem operis de Synodo Photiana. Unde vigeri poterit Elenchus ſcriptorum Allatii ap. Witten in Biogr.

XLVII. ULYSSES ALDROVANDUS.

Hunc qvoqve Morhofius p. 244. Polyhiſt. eodem nomine accuſare videtur, qvod ſcilicet plura in libris ſuis, qvibus piſcium, avium &c. naturam ampliſſime deſcripſit, ex Geſnero ceperit. Ex Pierio qvædam eum hauſiſſe nomine ejus non allegato non dubitat Thomaſius exercitatione de Phœnice §. 258. & 278. qvi §. 34. qvoqve errorem ex Volaterrano non citato traxiſſe Aldrovandum animadvertit. Μεγαισορα maximum inter Philoſophos & Medicos Seculi ſuperioris communi conſenſu ſummatem vocat Reineſius, Nihilominus Græcarum literarum ignorantiam in eo Ezech. Spanhemius notavit obſervante Kœnigio.

p. 65. defenſionis Var. Lect.

XLVIII. HIERONYMUS VAIRLENIUS.

B. Dorſcheus in Myſaria Miſſæ p. 250. Vairlenium accuſat, qvod interpretationem Epiſtolarum Ignatii, cujus ſe auctorem jactet, ſublegerit ex Joh. Jacobi Grynæi Orthodoxographis, qvæ prodierunt Baſileæ A. 1569. Vairleniana autem Ignatii editio, qvam ante oculos Dorſcheus habuit, præ ſe fert annum 1572. Sed Vir judicio florens ſingulariqve vitæ ſanctimonia, eruditionis minime vulgaris ac modeſtiæ laude conſpicuus L. Thomas Ittigius privatim nos docuit, injuriam fieri Vairlenio, cum ejus verſionem retinuerit Grynæus, ſiqvidem Ignatius cum Vairleniana interpretatione A. 1566. Antverpiæ ap. Plantinum editus tribus annis ſecundam Orthodoxographorum editionem antcvertit. In primâ autem Orthodoxographorum editione, qvam Joh. Heroldus

Baſil.

Basil. A. 1555. procuravit uti & in Micro, presbytico ibid. A. 1550. Jacobi Fabri Stapulensis versio conspicitur. Vicissim Joh. Hornbeckius p. 73. Miscellaneorum non citra injuriam arguit Dorscheum, qvod de φάτνη Bethlehemitica, num intra an extra urbem fuerit, agens, Casaubonum suppresso ejus nomine exscripserit. Falsum enim hoc esse nemo, opinor, nisi malevolus, diffitebitur, qvi Dorschei septenarium Admirandorum Christi p. 136. seqq. cum Casauboni Exercitat. II. sectione I. contulerit. Non dicam nunc, qvod in Oratione, nisi qvis verba etiam transscribat propter mutuatum unum vel alterum argumentum plagii reus haberi non possit, sed ne qvidem inspectum a Dorscheo, cum illa scriberet, Casaubonum fuisse contendam. Nam præter pauca Patrum loca, qvæ apud utrumqve leguntur, nihil fere cum Casaubono commune habet Dorscheus, nisi forte Lucæ verba, super qvibus controversia erat, ex Casaubono transscripsit, qvod asserere ridiculum est. Sed & plura ap. Dorscheum Patrum loca, & diversimode adducuntur, & qvomodo Justinum ac Eusebium Casaubonus legere potuit, Dorscheus non potuit? Sed plures qvoqve in contrariam partem objectiones affert Dorscheus, & aliter dissolvit, atqve ea, in qvibus cardo responsionum Casauboni versatur, ne attingit qvidem, unde seqvi videtur, Exercitationes Casauboni tum temporis non fuisse ante oculos Dorscheo, nedum qvod eas compilarit. Non majore jure B. Gerhardo, qvem doctissimi diligentissimiqve elogio Rivetus celebrat, idem Hornbeckius non improbante Gvil. Saldeno p. 156. de libris dicam dicit, qvod Locum gnaviter semper describat. Qvod enim Labbeo, qvi Gerhardum plagii in scriptores Bellarmini Ecclesiasticos commissi accusaverat, reposuit vir doctissimus Joh. Andreas Bosius, repetitum Thomasio

edit Argentorat. 1687. in 12.

Rivet T. 3. p. 524. Opp.

§. 441. plagiar. jam sufficit ad Hornbeckii qvoqve incusationem retundendam. Saldeno autem etiamsi à plagii culpa non alienus esset Gerhardus, Juvenalis illud occinere qveas:

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

Horatio per memoriæ lapsum] tribuit Morhof. p. 304

Gerhardi porro scripta qvam freqventes furum manus experiantur, vide apud Reiserum Epistola ad Spizelium, in templo honoris p. 404.

XLIX. MARTINUS DELRIO.

Ejus adagialia sacra V. T. in duas partes distincta jam tertia vice prodierunt Lugduni MDCXVIII. 4o. Qvo in labore præeuntes habuit virum summum Johannem Drusium, & doctissimum Joachimum Zechnerum Pastorem ac Superintendentem Schleusingensem. His qvanqvam non raro utatur, uti, qvod ad Zehnerum attinet, ex B. Geieri ad Proverbior. XII. v. xi. commentario animadvertit Maxime Rever. Ulmensium antistes Elias Veielius, tamen eorum nomina studiose supprimit solenni Jesuitarum more, qvibus, ut ait Grotius Epistola 265. ad Salmasium, hæreticos nisi contumeliæ causa nominare piaculum est. Drusium qvidem Delrio innuit his verbis pag. prologi xi. *Ex Novatoribus Calvinianis unus qvem viderim sacra adagia se legit, parca manu & sterili segete, nec ubiqve inoffenso pede hoc stadium decurrit. Præivit mihi hanc viam, & exemplo suo excitavit, qvadam etiam ex Rabbinis & humanioris literaturæ scriptoribus eidem accepta fero.* Zehneri vero mentionem bonus ille Martinus plane intermisit.

librarii forte errore Tomos III. numerat Wittii Biographia ad annum 1608. 19 qvem locum indicamus, qvoniam Martini Delrio nomen, uti alia plura, in indice est omissum.

L. ANDREAS SCHOTTUS.

Qvemadmodum idem Dn. Veielius sect. VI. disser-

sertat. de Variis Oeconomiæ S. generibus ex B. Dorscheo observat, Schottus in adagiis N. T. omnia Zehneri summo ejus silentio compilavit. Hic est ille Zehnerus, cujus similitudines etiam Biblicæ extant recensitæ Morhofio p. 255. Polyhist. Idem non mediocri diligentia vitam Pythagoræ & fragmenta collegit Lipsiæ 1603. 8o. Epiphanio qvoqve tributum libellum de vitis Prophetarum post Torini hominis, uti Petavio videtur, non satis græce periti operam emendatum eruditeqve illustratum in lucem emisit Schleusingæ A. 1612. 4o. Super qvo utiliter collocato studio qvamvis acerbe perstringatur a Petavio * *ventoso & magni supercilii scriptore*, (ita eum in Bibliotheca MS. vocat B. Scherzerus) vix tamen adduci nos patimur, ut credamus, Jesuitam adeo politum nobis illum Epiphanio suppositum fœtum dare potuisse, nisi fax ei Superintendentis, qvem tantopere exagitat, præluxisset.

* præfat. ad T. 2. Epiphanii & p. 219. Animadversionum.

LI. PAULUS COLOMESIUS.

Parum abest, qvin credam, virum hunc doctissimum, & cui non parùm alioqvi res literalia debet in χειμηλίοις literariis capite xxv. ubi de amne Sabbatico agit, Mßti Johannis Mandeville Itinerarii indicium & locum Geographi MS. debere elegantissimo Gaulminio, notis ad Psselli περὶ ἐνεργείας δαιμόνων p. 67. editionis nuperæ Kilonienſis, cujus nomen tamen supprimit. Neqve verum est, Geographum illum MS. contraria narrare Josepho, si doctissimam Casauboni emendationem Exercitat. xv. contra Baron. sect. 20. admittamus. Eam confirmat Menasse ben Israel qvæstione xxxvi. in Exodum, qvem non erat, ut propterea mendacii argueret D. Strauchius p. 154. breviarii Chronologici. Illius fluvii Sambationis, qvem Cunæus de Rep. Hebræorum & Osiander p. 271.

de Sabbatho pro fabula habet, mentio etiam apud Petachiam in itinerario p. 181. & 194. edit. Cl. Wagenseilii. De eodem flumine Fullerus lib. I. Miscellaneor. Sacror. capite IX. Becmannus Histor. Orbis Terar. p. LXXV. item Epistola Holstenii & Nihusii qvas συμμίκτοις suis inseruit Leo Allatius. Sed ut ad Colomesium redeamus, in iisdem κειμηλίοις qvæ habet capite VII. de Jamblichi Syri Babylonicis, repetiit ex Gallia suæ Orientalis pag. 264. qva tamen in parte tueri se potest illo Isocratis: οὐ γὰρ ἂν ἄτοπος εἴην ἐὰν τὰς αλλας ὁμῶν τοῖς ἐμοῖς χρωμένας, αὐτὸς μόνος ἀπεχόμην τῶν γ' ὑπ' ἐμοῦ πρότερον εἰρημένων. Qvam enim non raro magni etiam viri Colomesium tacito ejus nomine seqvantur, exemplis probatum reddere perqvam odiosum foret. At emendationem Prisciani Medici, qvæ in illo κειμηλίων capite speciose profertur pridem ante Colomesium viderat Reinesius p 514. variarum Lectionum. Non male feret vir eruditissimus hanc nostram de ejus furto literario suspicionem, qvi non modo varia effutivit in illo suo *Recueil de Particularitez* qvæ etiamsi vera essent, nullum alium in finem, qvàm ad traducendos viros optime meritos vulgata esse possent videri, sed & de Politiani plagio egit capite XXXI. Petri Alcyonii librum de exilio majori ex parte è M. Tullii libris de gloria transscriptum notavit capite XV. & capite VI. Salmasium in Exercitat. Plinianis Savaronis qvædam ad Sidonium exscripsisse dignum animadversione sua arbitratus est. Cujus aliud etiam plagium attigit p. 138. Vossio qvoqve notatum ad Melam observante Almelovenio, & ipso Colomesio p. 218. Galliæ Or.

p. 822. edit. Wolfium 8.

add Morhof. p. 171 & 186. Polyhist.

LII. CLAUDIUS SALMASIUS.

Eundem Salmasium Jesuita Petavius plagii in Bisciolam commissi reum facit libro II. Variar. dissertationum

onum ad auctor. operis de doctrina temporum capite x. his verbis: *Galeni locum ut & alia fere omnia de canicula in farraginem Solinianam avertit Salmasius ex Bisciolæ nostri lib. 12. Tomi 2. subsecivarum cap. 2. neqve auctorem, à qvo ista didicerat, vel litera nominavit, qvi ejus est mos.* Qvo de conqveritur Salmasius Epistola ad Grotium: *Me totas aliqvando paginas in sinum meum avertisse insimulat ex Bisciola qvodam, qvi nec de nomine mihi notus. Et hunc de grege illo (*Jesuitarum*) esse necesse est, qvem honorifice semper appellat, & nostrum.* Cui Grotius respondens, *De Bisciola autem*, scribit, *ridiculum, qvasi ille aliqvid legerit, qvod tu non legeris, qvi etiam legisti, qvorum Bisciola & Bisciolæ congreges nomina ignorant.* Idem Petarius capite IV. Miscell. Exercitationum qvæ, Juliani Apostatæ operibus subjiciuntur p. 363. *Ex Cluverii*, inqvit, *Sicilia omnia, qvæ de fonte ac lacu Agrigentino disputat, in Solinianam exercitationem transtulit Salmasius, ut solet suppresso nomine, unde ista corraserat.* Novissime Harduinus in laboriosa & splendida Plinii editione, qvam in usum Delphini adornavit, vult, *Salmasium in Exercitationum Plinianarum vasto opere multa aliena ab instituto attulisse, difficilia loca prætervectum esse, qvicqvid demum boni & probabilis qvod ad Plinium qvidem attineat, in istis lucubrationibus contineatur, id fere totum ex alienis hortis esse subreptum, qvicqvid de suo primum excogitatum protulerit, obelo configendum esse.* Qvod judicium uti ex Jesuitico superbo ac ingrato animo profectum est, ita merito iniqvius est visum doctissimis Actorum collectoribus A. LXXXV. p. 430. Blondelli argumentis usum Salmasium pro suis contra utrumqve disserens Hammondus passim innuere videtur. Johannes Milto p. 31. defensionis pro populo Anglicano adversus Salmasium: *Reges Hebræorum judicari posse, atqve etiam ad verbera damnari fuse docet Sichardus ex libris Rabbinicis,*

cui

cui tu hæc omnia debes, & tamen obstrepere non erubescis. Huc referenda verba Morhofii p. 305. Polyhistoris: *Salmasius in defensione causæ Anglicanæ multa ex Wilhelmi Shickardi fontibus hausit, quod & Boeclero in primo Musei sui specimine notatum est.* Illam defensionem diligenter legisse videtur vir doctiss. Joh. Wandalinus libris de jure Regio, quibus Episcopatum meruisse fertur. Miltonem vero à plerisque fideliter compilatum deprehendimus, qui hoc & superiore anno projectitiis chartis Jacobi II. ex Regis Britanniæ causam oppugnarunt. Præterea de Salmasio videndus Colomesius in Gallia Or. p. 189. sqq. qui meminit vitæ Salmasii quam edere voluerit Philippus de la Mare Senator Divionensis. Quæ Hanckius I. Romanor. Scriptor. p. 289. & ex eo Witte 1. Philos. p. CXI. item Freherus in Theatro p. 1122. de Salmasio habent, ex ejus vita ab Antonio Clementio Epistolis ipsius præmissâ desumta fere sunt. Idem Clementius spem facit Commentariorum Salmasianorum in N. T. quibus non tantum Criticum agere, sed & contra Pontificios multa ex antiquitate urgere voluit. Sed ne cum auctore ut alia multa interciderint merito veretur Joh. Andreas Bosius Exercitatione ad 2. Timoth. II. 22. cap. 1.

LIII. JOSEPHUS SCALIGER.

Summus iste literarum heros, *cujus scripta aurea tanquam ancylia cœlo delapsa cum horrore & religione quadam omnes eruditi tractare solent*, inter alias calumnias, quibus ejus hostes geniis famam ac nomen Scaligeranum lacessere conati sunt, minime effugere potuit, quo minus furibus etiam literariis ab iisdem annumeraretur. Quo nomine apud Rob. Titium, apud Scioppium non uno in loco, item in periculo foriarum, cujus supra meminimus, & in pluribus hujus farinæ scriptis aliis maximum virorum dehone-

Sciopp. de Criticis p. 10.

neſtari videas. In Epiſtola ad Stadium Scaliger laudi ſibi ducit, qvod extemporales ſuæ ad Hippocratem περὶ κεφαλῆς τραυμάτων notæ adeo non contemnendæ viſæ ſint, ut non veritus ſit qvidam arrogans juventutis faſcinator ac πλάνος palam dicere Scaligerum illa ſibi furatum eſſe. *Sed qvia videbat*, ait porro Scaliger, *difficilius ea mihi extorqvere, qvàm Herculi clavam poſſe, ad ultimum remedium ſuum hoc eſt ad calumnias confugit.* Inter innumera ac infinita merita qvibus rem literariam eruditorum ille Princeps locupletavit, ſane eminet Periodi Julianæ inventio, adeo ut & juratus ejus hoſtis Jeſuita Petavius libro IX. Doctrinæ temporum capite 1. nihil fere in ejus Chronologicis libris agnoſcat, *qvod momentum aliquod ad rem ullam habeat, qvodqve reprehenſionem effugiat, præter particulam iſtam, qvâ Julianæ Periodi methodum explicavit.* Sed hanc qvoqve a Græcis mutuatum eſſe Scaligerum Petavius partis II. Rationarii temporum lib. I. cap. IV. aſſerit, qvod itidem ex inimico animo protuliſſe Jeſuitam palam eſt, quomodo enim accommodationem ad annos cyclosque Julianos, in qva potiſſimum periodus Juliana conſiſtit, & per qvam à Conſtantinopolitana periodo diſtinguitur, à Græcis Scaliger potuit mutuari?

LIV. DIONYSIUS PETAVIUS.

Quibus vero verbis Petavius plagii crimen à ſe amoliatur, cum à Maturino Simonio Eccleſiæ Aurelianenſis Decano *in dedicatione ad diſpunctiones de pœnitentiæ ritu in veteri Eccleſia* argueretur, quod quæ in Albaſpinæi ſchedis legiſſet ea ipſo nusquam laudato publicare anteverterit, legi poteſt in dedicatione elenchi diſpunctionum ad eundem Albaſpinæum ſcripta, qvi Elenchus & ſeorſim prodiit Pariſiis A. 1624. Et in noviſſima Epiphanii editione Petavianis ad Epiphanium animadverſionibus

adde Dn. Veielium de variis Oeconomiæ S. generibus p. 82.

ſubjicitur. Dedicatio illa decimum qvoqve locum in libro primo Epiſtolarum Petavii occupat, monente Maxime Rever. Dn. D. Veielio.

LV. SORANUS.

Animus nunc eſt de Medicis qvibusdam ſcriptoribus priſcis potiſſimum verba facere. Ac primùm quidem de Sorano, ſub cujus nomine Iſagogen edidit Torinus, ex græco, ut ipſe vult, converſam quamvis id negent Marſilius Cagnatus IV. 2. Variar: Obſervationum & Voſſius de Hiſtoricis Gr. atque in latinæ linguæ Originibus p. 209. & 233. Neque diffitendum eſt, Marſilii argumenta id evincere qvod debent, ut nihil fere excipi poſſe videatur, niſi loca illa a. neſcio quo interpolata fuiſſe dicamus, quod ultimum mendaciorum refugium eſſe ſolet. Pro conceſſo itaque habeamus illam Iſagogen non Sorani Epheſii, quem græce ſcripſiſſe conſtat, ſed latini cujusdam auctoris eſſe, & latine ſcriptam. Methodiæ porro fuiſſe ſectæ addictum non difficulter colligitur, uti Empiricum non fuiſſe patet ex fine capitis IV. Sed illud quoque certum eſt, eum ad Mæcenatis ætatem (qvem appellat ſub finem capitis V.) minime pertinere, non magis quàm commentarius in Aphorismos, quem ſub Oribaſii nomine Andernacus vulgavit, ad tempora Ptolemæi Evergetis. Ante Marcelli Empirici librum legitur Epiſtola, ut titulus præ ſe fert, Hippocratis ad Mæcenatem, in qua etiam fit mentio Cæſaris Auguſti & Terentii Velpiſti, quem Evelpiſtum vocandum eſſe ex Scribonio Largo Deſignatiano novimus. Iſta etiam Epiſtola neq; Hippocratis, neque ad Mæcenatem ſcripta eſſe poteſt, uti paulo poſt Epiſtola quædam tribuitur Celſo, quam Scribonii eſſe conſtat. Sed & ſupra apud eundem Marcellum verba: *Largius Deſignatianus filiis ſuis ſalutem dicit* de-

delenda sunt, Marcellus enim post ea loquitur. Verùm ut ad Soranoad scriptam Isagogen redeamus,notandum est, sub initium ejus non pauca legi, quæ iisdem verbis reperias in commentario ad Aphorismos, quem Oribasio ab Andernaco tributum esse diximus,ut necesse sit unum ab altero sua descripsisse. At Oribasius inter Hippocratis interpretes præter *Pelopem*, *Lycum*, *Rufum*, *Domnum*, (an Damonem?) *Galenum*, *Attalionem*, Sorani etiam meminit, & eodem fere versu dicit, *se commentarios scripsisse monente Ptolemæo Evergete*, quasi vero Ptolemæi æqualis Galeni meminisse potuerit. Quivis videt, hæc omnia male inter se cohærere, neque certi quid quenquam inde de auctore quod dicat efferre posse, nisi aliis adminiculis adjuvetur. In Sorani vero Isagoge, quam exigui momenti esse Vossius ait, variæ ineptiæ continentur, inprimis, quod ad temporum dominium attinet, cujus generis canoras nugas in Tralliano, Myrepso, Marcello, Scribonio &c. supereſſe norunt eruditi. Aliquot nos in eo loca sanavimus, quæ neque tanti est, neque huic loco conveniens adscribere. Interim si de auctore aliquid dicendum esset, Cœlium Aurelianum lubens nominarem, vocem Mæcenatis insertam credens ab aliquo, qui majorem ei scripto vetustatis auctoritatem conciliare voluisset. Unde id quoque sequeretur, plurima in Isagoge ista ad Soranum referenda esse, à quô alias sua magnam partem deprompsisse Cœlium constat. Quamobrem Hieronymus Mercurialis dubitat, utrum Cœlii Aureliani opera ipsius sint, an Sorani Metaphrasis. Vide ejus Varias p. 6. 26. & 92. Verum nihil statuo. Priapeis Scioppii & Satiræ Sotadicæ, qvâ veneris quidam pullus Aloysiæ Sigææ Meursiiqve nomen diffamavit, inter alias Epistola Sorani ad Antonium Mæcenatis æqualem subjicitur, quâ ipsi petenti remedium contra effrenatam Cleopatræ

de hoc Cœlio vide Reines. III 17. & 18. Var. Lect. qvi contra Barthii sententiam Sec. qvinto vixisse putat.

ſuæ libidinem deſcribit. At longe juniorem eſſe illius Epiſtolæ fabricatorem pridem docti animadverterunt, præcipue cum auctor ille Juvenalem, qui ſub Claudio Nerone ſcripſit, legiſſe videatur. Extat etiam vita Hippocratis ſub Sorani nomine, quam ex *βιοις ἰατρῶν* Sorani Epheſii junioris unicam ſupereſſe docti ajunt. In illa mentio fit Sorani Coi qui *ἐρυήσας τὰ ἐν κῶ γραμματοφυλακεῖα* &c. Hi ambo diverſi fuerunt à Sorano Epheſio * Menandri & Phæbes filio, quem Suidas ſub Trajano & Adriano Romæ Medicinam feciſſe teſtatur, cujus fragmenta quædam ſupereſſe ex Conringio didici. Maxime vero diverſus ab his omnibus Q. Valerius Soranus, quem M. Tullius in Bruto celebrat, quemq; ob meritum profanæ vocis neci datum eſſe ſcribit Solinus. De hujus Epoptidon libris Turnebus ad Plinii præfationem p 34. Quod vero Harduinus apud Plinium pro Sornatio Sorani nomen reponendum eſſe exiſtimat, de eo amplius cogitandum. Interim miror Meibomium, cum veterum Medicorum teſtimonia de jurejurando Hippocratis colligeret, prætermiſiſſe locum in Iſagoge Porano adſcriptâ cap. III. *Memor etiam ſit juramenti Hippocratis, ut ab omni culpâ ſe abſtineat maximè à venereo & corruptibili actu.* In quo etiam loco veſtigium dictionis Cœlii Aureliani apparet, qvem adjectivis in *bilis* pro præſentis temporis participiis frequenter uſum oſtendit Reineſius p. 649. & 671. Variarum.

Soranus Medicus citatur etiam in Etymologico M.

* hujus mentio ap. Galenum aliqvoties.

LVI. PLINIUS VALERIANUS EMPIRICUS.

Hunc tertium à Plinio Majore & Epiſtolarum panegyricique ſcriptore Plinium Comenſem patria fuiſſe, Harduino teſte veruſtis aliquot inſcriptionibus docetur, quarum unam ex Grutero affert Reineſius p. 388. Var. Lect.

qvi ex Recentioribus ejus teſtimonius vi-

Lect. Comensem quoque vocat Fumanellus libro de morbis in urinæviis, quemadmodum idem observavit. Marcello Empirico priorem, cæteroqvi majoris Plinii in non paucis exscriptorem vocat Barthius lib. I. cap. 14. Adversar. qvi plura de eo dicturus fuit in opere de scriptoribus dubiis. Ac Marcellus qvidem in præfatione ad Theodosii senioris filios *Nec solum*, inqvit, *veteres medicinæ artes auctores, latino duntaxat sermone perscriptos (cui rei operam uterqve Plinius & Apulejus, & Celsus & Apollinaris, & Designatianus aliiqve nonnulli etiam proximo tempore inlustres honoribus viri cives ac majores nostri Siburius, Eutropius atqve Ausonius commodarunt) lectione scrutatus sum* &c. ubi notandum, qvod inter veteres utrumqve Plinium nominet, ut, si Valerianum nostrum sub altero innuere voluit, necesse sit eum non paucis annis Marcelli ætatem præcessisse. Sed inter alias Epistolas apud Marcellum, Plinii qvoqve secundi una legitur, qvæ præfixa est libris V. ἐυπορίςων (ita enim recte inscribi Barthius & alii volunt) Plinii Valeriani, nisi qvod aliqvam multis in locis diversa lectio apparet. Romani ævi scriptorem contendit Barthius lib. V. cap. 5. & lib. VII. cap. 8. sed Constantinianeo ævo proximum fuisse mavult Reinesius p. 180. Var. Lect. cui sententiæ repugnat, qvod veteribus eum annumeret Marcellus Empiricus. Ethnicum fuisse aliqvot locis affirmat Barthius, cui p. 181. contradicens Reinesius ex duobus argumentis Christianum eum facere laborat, primum qvod libri III. cap. 16. sideratos post exhibita medicamenta ad se non reversos dimittere jubeat, *qvod ira DEI percussi esse videantur.* Deinde, qvod ejusdem libri capite 7. *Apostolici, rotundi* faciat mentionem. Verum p. 388. Var. Lect. gentilem fuisse Valerianum non abnuit, & Pliniorum Cæciliorum qvacunqve ratione agnatum fuisse arbitrarur. Tum pag. 137. defensionis, ostendit, pro

si sunt allegantur à Reinesio p. 181. Var. Lect. & in defensione p. 22.

apoſtolicum rotundum legi debere *piſtologium*. Præterea in integris qvinqve libris Valeriani neqve vola neqve veſtigium χριστιανισμῦ extat. Non tantum Stylo ſed & opere Medicus fuiſſe videtur Barthio lib. V. cap. xxv. qvod ex præfatione Plinii qvodammodo confirmatur. Atqve hæc ſunt, qvæ de Auctore ipſo in medium proferre potui, nam qvæ Voſſius lib III. de Idololatria c. 48. habet, ex Barthio collecta apparent. Illius itaqve Plinii Valeriani libros V. Re Medica poſt Romanam editionem Anno 1509. qua ſola uſus eſt Barthius, cum Sorani Iſagoge & aliis quibusdam vett. Medicor. apoſpaſmatiis edidit Albanus Torinus Vitodurenſis Baſileæ A. 1528. fol. Quam editionem ſi inſpicere etiam licuiſſet Barthio, bene multis ille emendationibus ac conjecturis ſuperſedere potuiſſet. Fide enim vetuſtiſſimi Codicis Torinus Plinium innumeris mendarum millibus liberaſſe ſe ait. Idem in præfatione, *Clamitant*, inquit, *aliqvot, Genium hujus operis totum diſſidere à Plinii ſtylo ac indole. Ego vero inquam, ut bonam hujus opuſculi partem Plinii non eſſe res ipſa clamitat, ita qvædam hunc olere parentem vel cæco apparere. Sed puto rhapſodum qvendam è Naturali hiſtoria congeſſiſſe, & in ordinem redegiſſe. Deinde quod Plinio cum cæteris ſcriptoribus commune eſt, lucubrationibus ipſius multa ſupppoſititia prorſus indigna Plinio eſſe inſperſa quis non videat?* Videtur Torinus cum aliis qvibusdam dubitaſſe, utrum unqvam Plinius Medicus ab Hiſtoriæ ſcriptore diverſus extiterit, qvod tamen à Marcello & inſcriptionibus edocti pro certo ſupponimus. Multa in illis libris ex ſcriptoribus imputata eſſe ait Reineſius qvi ſuorum ſeculorum ſtribligines ornatiſſimæ & caſtigatæ ſatis Latinitatis ſcriptori adfricuerint. Idem p. 389. cinnum vocat, & p. 403. interpolatores ex Arabum medicina & lingvis popularibus plurima huic auctori ejectis interdum meliori-

adde Reineſii defenſionem Variar. Lect p. 34. ubi Baſileenſem editionem Anni 1528. inſpexiſſe videtur, qvam nondum viderat cum Varias Lectiones ſcribere vide eas p. 180. ubi pro 1528. per errorem eſt 1530. Idem p. 181. ſimulac. exemplar Plinii nactus fuerit, totum commentario ſe illuſtraturum recepit?

lioribus infarsisse putat. Librarium vero illorum librorum Hispanum fuisse conjicit Barthius lib. XI. cap. 10. Adversar. negante Reinesio p. 180. & 197. Var. Lect. qvi Germanum Grammatistam fuisse suspicatur, qvod & Barthio in mentem venerat lib. VI. cap. 17. Hieronymus Mercurialis libro II. Var. Lect. cap. I. ex Plinii majoris opere totos Plinii junioris de re Medica libros conflatos esse ait, & in arte Gymnastica futilem & barbarum scriptorem indignatur Plinii nomine superbire, adversus qvem causam Plinii egit Reinesius lib. 2. c. 8. Var. Lect. & Barthius p. 283. Adversariorum, qvorum uterqve tamen transcriptorem eum Plini majoris fuisse non negat, nisi qvod Barthius ex parte excusare eum conetur, siqvidem profiteatur, se parabilem medicinam constipare non ex solius suis rebus. Sed hoc tantum dicit in præfatione Plinius, se undiqve valetudinis auxilia construere, & velut in breviarium colligere. Cum autem non paucos alios etiam à Plinio indicatos auctores alleget, Plinii autem nusqvam mentionem faciat vel verbulo, qvomodo à plagii crimine immunis dici possit, non video. Subtexam hoc loco indicem Scriptorum vel eorum, qvorum medicamenta in Valeriani libris memorantur, qvales indices DEO juvante in omnes antiqvos Medicos, sed & alios qvosdam Græcos & latinos auctores aliqvando exhibiturus sum, qvem laborem meum bonarum literarum studiosis forte non ingratum futurum esse existimo.

Antiochi Regis Theriaca lib. III. c. 57. & IV. 38. adde Plinii Majoris H. N. XX. 24.

Asclepiades IV. 26. non Prusiensis sed Φαρμακίων sub Nerone florens. De Asclepiadis Reinef. Inscript. p. 608. &, ubi eadem leguntur, Epist. ad Hofmannum p. 395.

Atha-

Athanasii antidotum pro hepaticis. II. 17. Barthius hunc Athanasium pro scriptore habet X. 25. Adversar. At Reinesius p. 200. Var. Lect. ostendit varia antidota Athanasia & Ambrosia vocata esse ab antiquis Medicis, ob singularem suam virtutem & efficaciam.

Augusti Cæsaris commentarii. I. 18. conf. Harduinus ad Plinii Hist. Cato. IV. 29.

Chrysippus IV. 18. & 21. liber de brassicâ, omnium morborum remediâ ex eâ continens IV. 29. περι λαχάνων allegatur Scholiasta Nicandri p. 59 b. edit. Aldi.

Claudiani emplastrum. III. 45. Hic Galeno amicus dicitur lib. 1. de compositi. medicam. Ex qvo loco Medicinæ amantem fuisse colligitur, qvamvis Reinesio non difficulter largiamur, quod medicinam eum factitasse inde concludi non possit.

Constantini sapa seu succus 1. 2. Neqve hunc libenter inter Medicos retulerim. Nic. Myrepsus sectione 1. de antidotis c. 198. meminit antidoti, quô usus fuerit Constantinus Rex. Per quem nihil impedit intelligere Constantinum Imperatorem, cum & Imperatores in Græcis scriptoribus passim veniant nomine βασιλέων uti notavit Boxhornius & alii.

Corneliana catapotia IV. 29. Palàm est Cornelium Celsum intelligi, quod & Barthius innuit p. 185. & 506. Adversar.

Damon Medicus. III. 19. Damion Plinio Majori XX. 9. & XXIV. 19.

Democritus IV. 34. Physicus.

Diocles IV. 17. & 34. Carystius.

Dionysius IV. 34. Inter plurimos Dionysios, de quibus Jonsius & Meursius ad Helladii Chrestomathiam, ille, opinor, à Valeriano intelligitur, cujus ῥιζοτομικὰ citat Schol. Nicandri ad Theriaca p. 52.

Dioscо-

Dioſcorides IV. 5. 6. 26. 39. 40. 42. 45. 51. 58. Veriſimillimum eſt non Valerianum modo, ſed & ſeniorem Plinium Dioſcoridis libris uſum fuiſſe, qvod præter B. Thomaſio §. 683. de plag. allegatos tuentur Salmaſius & Lambecius lib. 2. de Bibl. Vindob. p. 558. Inclinat Mercurialis in Variis, & Reineſius.

Fabii Clementis unctio. III. 14. Torinus *Favii* edidit. Sed legendum Flavii ex Galeno VII. 10. de compoſ. medicament. & Actuario lib. 6. de methodo medendi cap. 8. qvi eandem unctionem refert, unde patet etiam apud Plinium Valerianum pro *olei ſavinenſis* legendum eſſe *Sabinenſis*. Ita in antiqviſſ. MS. herbario Apuleji paſſim *vivere* pro *bibere*. Elmenhorſt. ad Apulej. p. 341. ſq. *Vivius* pro *Vibius*. Reineſ. ad Hofm. p. 259. Viciſſim *bibamus* pro *Vivamus* ap. Lipſium lib. 1. c. 19. Saturnal. In Reineſii Inſcriptionibus *Bixit* pro *Vixit* p. 910. 933. &c. Atqve ap. Gruterum p. 540. &c. *Flabius* pro *Flavius* Meurſ. ad Palladii Lauſiacam p. 204. In codice Juſtinianeo *Jubentius* Celſus pro *Juventius*, Menag. c. 27. amœnitatt. juris. Et mille talia in Plavitinis Parei Lectionibus. Cæterum Reineſius p. 142. defenſionis Variar. Lect. contra Bachmannum, Flavium hunc putat eſſe patruelem Domitiani, de qvo Sveton. in ejus vita c. 15. nec inveniſſe illam unctionem, ſed tantum uſurpaſſe.

Galenus IV. 2. (ubi legendum: ut prudentiſſimo Galeno videtur.) 5. 6. 7. 22. (hic recte à Torino emendatum eſt, *Pergamenſis* pro *Polotenſis*, qvod, qvid ſit, neſcire ſe Barthius fatebatur) 26. 29. 39. 41. 43. 49. Galenum nusqvam citat Cœlius Aurelianus & Theodorus Priſcianus. Cauſam vide ap. Reineſ. in Variis p. 654.

Glaucias IV. 16. unus inter veruſtiſſimos Empiricos He-

raclide Tarentino antiqvior, uti apparet ex Celsi præfatione. Vide iterum Harduinum ad Plin. Major.

Hierax Cappadoro intimo suo retulit. IV. 2. Hieracis collyrium refert Celsus VI. 6. p. 144. edit. Patavinæ A 1563. 80.

Hippocrates IV. 7. 17. 20.

Mithridatis Theriaca. III. 54. IV. 3.

Niger Sextius IV. 5. de hôc Lambec. lib. II. Bibl. Vindob. p. 546.

Olympias Thebana. IV. 5. meminit etiam Plinius Major XX. 21. At à Polluce ejus Epistolam allegari, qvod vult Harduinus, neqve Wolfg. Seberus in Auctorum indice observavit (qvanqvam non nescio eum aliàs qvoqve non accuratissimum esse) neqve ego pervidere potui. Verba Pollucis hæc sunt: Ἔστι δέ τινι βιβλίῳ, ὅτι ἐν Ὀλυμπιάδος ἀπογραφῇ τὴν κατ' ὄνομα &c.

Praxagoras IV. 17. Medicus Cous antiqvissimus ipsius Hippocratis discipulus ut docet Tzeza. Vide Meibom. ad Hippocratis ὅρκον p. 7. Castellanum vitis Medicor. p. 42. Citat & Scholiastes vetus ad Iliada, qvem Didymum esse existimant p. 367. Reliqva Harduinus occupavit.

Pythagoras IV. 28. Philosophus. alius IV. 47. exercitator. Consule omnino Reinesium in Variis p. 201. sq.

Sagares pancratiastes unus de nobilissimis. Emplastrum qvo usus ille fuit, recensetur III. 47. Pancratiastes est athleta. Sextus Empiricus lib. I. Pyrrhon. Hypothes. c. 14. Henrico Stephano interprete. *Cum lex sit, non licere pulsare hominem liberum & nobilem bonis parentibus prognatum, pancratiasta alii alios pulsant propter vitæ suæ institutum.* Usus itaqve illo emplastro Sagaris adversus omnia, qvæ in hujusmodi certamine solent inferri. Qvanqvam vero non repugnent Medicum esse & athle-

letam, ut Marcellus Grammaticus ac pugil *ap. Sveton. c. 22. illustr. Gramm.* Hippomachus Musicus & athleta *ap. Ælian. II. 6. & XIV. 8. Variæ Historiæ.* Nihilominus Sagarim ex Medicorum numero à Reinesio recte ejectum esse arbitramur. De hôc forte Sagari intelligi qveat illud Martialis VIII. Epigr. 58. si ita legamus:

Cum tibi tam crassi sint Artemidore lacerti,
Possum te Sagarim jure vocare meum.

Scio in diversa abire Interpretes & Reinesium Epist. ad Hofmannum p. 145. & 383.

Theodori xeron sive pulvis III. 22. Hic septimus decimus est inter viginti Theodoros, qvos memorat Laertius Diogenes p. 157. edit. Stephani. Ejus qvoqve mentio apud Plinium Majorem, unde noster hausit.

Valerii Paulini medicamentum III. 14. ejus Galenum etiam meminisse observat Reinesius.

Vindicianus I. 54. 55. 57. emendante Barthio p. 80. Adversar. qvod approbat Reinesius p. 42. defensionis. De eo Bartholinus de Medicis Pöetis p. 122. & Reinesius p. 644. Variarum, circa annum Christi 360 in vivis fuisse videtur Meibomio. Adde qvæ de Vindiciano habet Conringius p. 59. introductionis in Medicinam. Insignem ejus locum emendat Meursius lib. II. Miscellan. Laconicorum capite 16.

LVII. PAULUS ÆGINETA.

Aëtii exscriptor dicitur à Reinesio p. 35. Var. Lect. Ita alibi qvoqve videas transscriptoris veterum nomine venire hunc Paulum. Cornarius notis ad lib. I. Æginetæ c. 58. *Seqvitur autem Paulus non minus freqventer Aëtii qvàm Galeni verba* &c. Nihilominus à plagii crimi-

ejus libros septem græce edidit Rembertus Dodonæus & Hieron. Gemusæus. latine vertit, To-

simus, Andernacus, Copus & Cornarius, qvi dedolationes seu notas adjecit, sub Theodosio II. vixisse creditur, patria ejus Ægina insula. Maximam partem orbis perlustrasse se ipse testatur. Christianus fuisse videtur Barchio.

ne alienus est, quandoquidem ipse ait: ἔτε γὰρ τὰ ἐμὰ παρεθέμην ἐν αὐτῇ ἔπιτομῇ γεννήματα, πλὴν ὀλίγων δή τινων σὺν περὶ τοῖς τῆς τέχνης ἔργοις εἰδόνλε καὶ εἰπόρασα. Πλείστοις δὲ τῶν ἐνδόξων ἐντυχηκὼς καὶ μᾶλλον ὀριβασίῳ καὶ αὐτῷ πάσαν ἀπανθίσουτι βίβλον, ἐν ᾧ πᾶσαν τὴν ὑγιεινὴν διήλθομεν ὑπόθυπωσιν. Τῶν δὲ μετὰ Γάληνον καὶ ἔτι νεωτέρων ἐγένετο. Τὰ κάλλιστα τούτων ἐπιλεξάμην, μηδὲν ὡς οἶόντε νοσημάτων παραδραμών. Ἡ δὲ ἑβδομηκονταβίβλος αὐτοῦ Ὀριβασίου πᾶσαν ἐν ἑαυτῇ περιέχει τῆς τέχνης ὑπόθεσιν. Ad qvem locum Cornarius, *ingenua*, inquit, *est confessio non sua, sed veterum placita se collegisse ac proferre profitentis. Honestum est magnos duces sequi, honestum est aliena scripta usurpare, sed turpissimum est, illa pro suis edere, neqve per quem profeceris, fateri. Si autem Paulus Ægineta non sine magna laude collectionem ex prioribus Medicis fecit, & Græce scriptis eadem lingva transscribendis iisdemqve verbis usurpandis nomen invenit, & hoc studium prior etiam Galenus tum alibi tum vel maxime in libris* κατὰ τόπους *itemque* καθ' ἑκάστην *inscriptis cum gloriâ exercuit* &c. Idem de Oribasio dicendum est, qui Juliani Imperatoris jussu, quæcunque medici præstantissimi ante eum scripserant, in unum volumen redegit, quamobrem exscriptor veterum recte dici, plagiariis vero citra injuriam adnumerari non potest. Qvod vero ad ἑβδομηκονταβίβλον Oribasii attinet, cujus in adducto loco Paulus mentionem facit diximus in dissertatione nostrâ de numero septuagenario thesi 17. apud Suidam perperam LXXII. libros numerari, cum nec ipse Oribasius procemio synopseos ad filium, neqve Photius codice CCXVII. Bibliothecæ plures qvam LXX. agnoscant.

LVIII. APULEJUS MAGDAURENSIS.

p. 276. edit. Lugd. Bat. A. 1623. 12o.

Qvanqvam in Apologia ipse se medicinæ nec imperitum nec instudiosum appellet, malunt tamen Eruditi

ditorum non pauci librum de herbis alii cuidam Apulejo Celso tribuere, de qvo Scribonius Largus capite 43. compositione 171. *Antidotus Apuleji Celsi præceptoris, qvam qvotannis componebat & genere qvodam publice mittebat Centuripas unde ortus erat, qvia in Sicilia plurimi fiunt rabiosi canes.* Idem capite 22. compositione 93. *Hoc medicamentum Apuleji Celsi fuit, præceptoris Valentis & nostri, & nunqvam ulli se viro ejus compositionem dedit, qvod magnam opinionem ex eo traxerat.* Marcellus Empiricus Scribonii transscriptor, qvi inter Medicos Apuleji qvoqve in præfatione meminit, idem medicamentum referens capite 16. *hoc* inqvit, *Apuleji Celsi fuit & præceptoris nostri Valentis nec unqvam ulli vivus ejus compositionem dedit, qvia magnitudinem opinionis ex ea traxerat.* Ex Scribonio hausit Reinesius qvæ de hoc Apulejo habet Epistolis ad Hofmannum p. 146. qvi addit: *Hujus sunt qvæ circumferuntur botanica, vel hic est in qvem referuntur, hoc enim fidentius assererem, non illud.* Illius libri de herbis non pauca illustrat Barthius lib. 37. cap. 23. Adversar. Vide & libri 38. cap 1. ubi non tantum libellum de betonica qvem Antonio Musæ antea aliqvi tribuerant, partem herbarii Apulejani esse docet, sed & nescio cui Sexto Platonico tributos libellos duos de remediis animalium & avium ad eundem auctorem referri debere arbitratur. Pleraqve in herbario qvod ad nomina præcipue herbarum attinet, eodem fere ordine apud Dioscoridem leguntur. Longe autem antiqvior fuit Apulejus Celsus Scribonii, qvippe qvi Tiberii tempora attigit præceptor, cum Dioscorides Plinii fere æqvalis fuisse putetur. At Antoninorum demum ætate (non Trajani ut voluit Petavius) vixisse Apulejum Madaurensem ostendunt Pithœus Vossius ac Borichius, cujus, opinor, medicinalia allegat Priscianus libro VI. librum de arboribus Servius ad 2. Georgicor, cujus testimonio etiam aliqvoties uti-

de hoc Valente Medico, aliisqve hujus nominis Reines. p. 559. & 692. Var. Lect. & p. 35. defensionis. De Vettio Valente Antiocheno Scaliger Epist. 114. & Seldenus de Dis Syris syntagm. 1. cap. 1.

utitur collector Geoponicon & semel Palladius libro I. de re Rustica tit 35. *de remediis horti vel agri.* Hunc ego Apulejum Platonicum malim esse auctorem herbarii, quàm illum Celsum, quem sub Augusto vixisse necesse est. Neque dictio usque adeo repugnat, cui aliquid scabritiei ab ex scriptoribus accessisse non absurdum est, ut existimemus. Johnsoni sententia, qui Kœnigio citante sexcentis retro annis & græce scriptum libellum illum affirmat, præferenda esset, si aliquibus rationibus niteretur. Forte aliquis ex majore Apuleji opere de herbis nomina earum & virtutes breviter contraxit, uti Sexto Platonico duos adscriptos libros de remediis animalium & avium, siquidem unus horum juxta Barthium auctor est, ex Apuleji majore opere collectos arbitrari possimus, qui de particulis omnium animalium de situ earum deque causa & remediis conscripturum se esse in apologia sua promisit, in qua etiam mentio servi Themisonis, quem aluit Apulejus, Medici quidem sed diversi omnino ab Archiatro Themisone, cujus meminit Juvenalis Satira x. Asclepiadis discipulo, sed à quo tamen paululum deflexit, uti videtur ex Celso proœm. & lib. 3. Plin. 29. 1. unde & diversas Asclepiadis & Themisonis sectas memorat Seneca Epist. 95. adde Coel. Rhodigin. XI. 16. Lipsium l. IX. elect. Colvium ad Apulejum p. 248. Scipionem Gentil ad Apologiam no. 372. Jonsium p. 83. Harduinum ad Plinium, qui & scripta ejus quædam recenset. Alius ab his duobus Themison Martiali æqualis, qui ejus meminit XII. 20. Alius vir Thebanus de quo ap. Suidam in voce *βάτ]ος*. Alius forte quem *ἐν παλληνίδι* allegat Athenæus p. 235. &c. Sed ut ad Apuleji herbarium revertamur, in præfatione de Medicis ait *eos reditus facere, dum tempus curationum extrahunt, puto quia sæviores ipsis morbis existunt.* Quæ iisdem fere verbis leguntur, in præfatione Pli-

Medici servi mentio ap. Lactium in *Diogene.* add. Menag. p. 219. amœnitat. juris De Archiatris idem p. 222 Meibomius Exercitatione ad Cassiodori IV. 19. Variarum. Mercurial IV. 1. Var. Lect. Hofmann Var Lect. V. 26. 27. 28. Casaub. ad Strabonem. Marsilius Cognatus II. 15. Var. Observat. Reines. p. 509.

Plinii Valeriani. Qvod autem Joh. Bodæus à Stapel allegante Almelovenio *Apulejum* librum ſuum de ſalutaribus remediis ex Plinio majore totum compilaſſe dixit, reſpexit opinor ad illud herbarium, in qvo poſt varia herbarum ſynonyma virtutes qvoqve earum breviter recenſentur. Sed injuriam illo judicio ſuo auctori herbarii Bodæum feciſſe non eſt dubium, qvanqvam aliqva fortaſſis gemina apud Plinium reperiantur. Apulejum Madaurenſem Aſclepii Hermetis interpretem eſſe paſſim negant eruditi, nihilominus cum ex eo non pauca producat Auguſtinus, non ita nuperus ſcriptor habendus eſt uti Colvius, Wowerius, aliiqve volunt, & *licet non Madaurenſis, fortaſſe alter Apulejus tamen*, ait Barthius ad Gallum confeſſorem p. 48. qvi tamen nullum novit *Apulejum* alterum. De Mileſio ſermone ſeu Metamorphoſeon libris qvi ſine controverſia *Apuleji* Platonici ſunt, Elmenhorſtius ſub initio notarum: *Ex Luciano noſter bonam partem tranſcripſit, cujus Lucium ſtylo & verbis Apulejanis tranſlatum huic noſtro Lucio comitem dare inſtitueram, ſed me deterruit poſtea abominanda & deſpuenda libri obſcœnitas*, &c. Ita Lucianus ex Lucio Patrenſi Lucium ſuum concinnaverat teſte Photio cod. CXXIX. Super libro de Mundo graviorem plagii dicam Apulejo ſcribit Arnholdus Bootius p. 166. ſacrarum Animadverſionum: *De iſtis ſpeculis loqvitur auctor libri de mundo falſo adſcripti Ariſtoteli, qvem locum valde indiligenter atqve imperite vertit Apulejus aqve ac totum librum, cui ſe fœdo ac miſerabili plagio non interpretem ſed auctorem inſcripſit, atqve multis etiam doctiſſimis viris in re manifeſtiſſimâ impoſuit.* Sed ipſe Apulejus *nos* inqvit, *Ariſtotelem prudentiſſimum & doctiſſimum Philoſophorum & Theophraſtum auctorem ſecuti qvantum poſſumus cogitatione contingere dicemus de omni hâc cœleſti ratione* &c. Ex qvo loco Ariſtotelem libri de Mundo

Var. Lect. &c. Themiſon Archiater dicitur Scholiaſtæ juvenalis

Alius liber de Mundo qvi inter Philonis Judæi opera editus est Colon. Allobrogum 1613. & Paris. 1640. itidem auctoris nomen Budæo aliisqve doctis mentiri videtur. Qvi ea ni fallor ratione nituntur, qvod neqve Eusebius neqve Hieronymus aut Nicephorus aut Svidas illius libri inter Philonis Judæi scripta meminerunt;

do auctorem esse inter alia probat Olaus Wormius invito licet doctissimo Heinsio. Atqve ut illam qvoqve controversiam hîc attingamus, librum istum Theophrasto tribuit Cœlius Rhodiginus, Nicolao Peripatetico Petrus Victorius & Simon Portius ap. B. Thomasium cap. XI. Phys. qvæst. 15. item Loënsis VI. 12. Epiphyllidos. Posidonio Stoico adscribit Thomas Aldobrandinus. Aristotelis esse negant cum Heinsio uterqve Scaliger, Vossius de scientiis Mathematicis p. 272. Casaubonus, Muretus II. 8. Var. Lect. Salmasius, Dürrius, Giphanius &c. Sed ut Aristoteli vindicandum esse crederet, Vulcanii argumentis adductum se fatetur Sam. Rachelius introduct. in Philosophiam Moralem p. 27. qvibus adde Fortunium Licetum in Allegoria peripatetica & Petrum Petitum libro II. Miscellaneorum capite 19. pro qva sententia inprimis facit Justini Martyris auctoritas, qvi ἐξ Ἀριστοτέλους πρὸς Ἀλέξανδρον λόγω verba qvæ in libro de Mundo habentur, allegat, qvicqvid etiam in contrarium excipiat Heinsius; tum Philoponi locus qvem petitus & Elmenhorstius p. 69. ad Apulejum adducit, qvô Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ κόσμου λόγω diserte memoratur. Juvat hâc occasione monere peplum, qvi sine auctoris nomine primum græce à Plantino & Stephano, postea Aristotelis Stagiritæ nomine addito à Gvil. Cantero cum notis ac versione Antwerpiæ A. 1571. 8o. editus ac postea variis philosophi Operum editionibus adjectus fuit, non Aristoteli philosopho Stagiritæ, sed alii cuidam Aristoteli, qvorum triginta fuisse Ionsius observat, tribuendum esse. Id disco ex Grammatico Joh. Tzetza, qvi Aristotelem pepli scriptorem à philosopho probe distingvit Scholiis ad Hesiodum: Ἀριστοτέλης ὁ φιλόσοφος, μᾶλλον δὲ ὕϊμαι ὁ τὰς πέπλους συντάξας, ἐν τῇ Ὀρχομενίων πολιτείᾳ &c. Stagiritæ tribuendum esse peplum negat etiam Franciscus Patricius T. I. discussionum peripateticarum pag. 18. & 49.

LIX. GARIOPONTUS.

Warimpotum, Raimpotum, VVarmipotum, Guaripotum alii appellant. Garnipulus manipulos Galeni furripiens dicitur Valesco de Taranta. Gariponum vocat Matthæus Silvaticus Mantuanus, jubilatus & classicus inter Medicos sui temporis. Vixit autem circa A. M. cccxxx. quo tempore paulo antiqviorem esse Gariopontum putabat Reinesius p. 359. Var. Lect. & lib. III. cap. 12. Sed in defensione, ad Seculum undecimum referri debere ostendit ex testimonio Petri Damiani, qui A. 1072. obiit. In hujus enim Epistolis libri V. Epistola 16. ad Pandulfum Clericum hæc verba reperiuntur, quæ etiam Barthius allegat ad Zachariam Mitylenæum pag. 279. *Dicam qvod mihi Garimpontus senex vir videlicet honestissimus & apprime literis eruditus medicus retulit.* In Italia scripsisse, sed à Salernitanis doctoribus venenorum eruditionem accepisse putat Reinesius, qui collegii Salernitani membrum postea factum fuisse Gariopontum indubitanter affirmandum censet pag. 144. defensionis. Christianum esse scriptorem, minimeque græce quod voluerunt aliqui, sed latine scripsisse ostendit Barthius IV. 14. Adversar. Ejus passionarij Lugduni A. 1516. 1526. tum Basileæ A. 1531. 1536. prodiit, quem ex Galeni, Æginetæ, Tralliani & Theodori Prisciani libris compositum esse jam ante annos CCCC. viderat Simon Januensis, qui Synonymorum librum compilavit. Ex Plinio quoque aliqua descripsisse Barthius observat, ex Theodoro autem Prisciano integra capita XIII. comportavit notante Reinesio, *sed adeo perverse, ut videre hominis stuporem & indignari simul satis haud possimus, quippe quæ non intelligeret omisit consulto, qvæ intelligere se putaret, male tamen descripsit, in pluribus sententiam sui auctoris plane evertit, interdum ab eo in leviculis dissentit, quasi pla-*

Reines. defens. Var Lect.

de antiqvitate Academiæ Salernitanæ Renatus Morcau prolegom. in scholam Salernitan. c. 2. Conring. Antiqvitat. Academ. diss. 3.

lib. III. c. 12. Var Lect. vide & p. 510. 514. 643. 690. &c.

defensiona p. 76. 145. &c. Barth. in Adversar.

plagii culpâ propterea eum à beo exemtura forent, & omnino varie exercet mangonium &c. Galenô ita usus est Gariopontus, ut Galeni etiam nomine ejus passionarius à quibusdam allegaretur, quod & duobus libellis dynamidiarum sive experimentorum Garioponti factum esse animadvertit Reinesius p. 528. Var. Lect. ubi illos libros vero auctori restituit. De passionario subjungam locum ex ecloga Oxoniocantabrigiensi, uti eum adducit Renatus Moreau prolegom. ad scholam Salernitanam p. XI. *Liber iste merito Passionarius vocitatur, qvia de passionibus agit, quem quidam Galenum composuisse asserunt, sed non est verum, quia hujus libri diversi fuerunt auctores scilicet Alexander, Galenus atque Priscianus, & non simul neqve uno consensu, sed semotim de passionibus corporis, & prout cuiq; est visum, tractaverunt, sed Theodorus Priscianus collegit, & à semetipso & à quibusdam additis aliter quàm nunc sic ordinavit. Febres enim utpote universales in tractatu præmisit, deinde cætera quasi particularia subjungit, id est de cephalea & aliis hujusmodi. Secundum quosdam vero non prædicti plures unum librum composuerunt, sed unus scilicet Paulus composuit. Sed sive hi, sive illi composuerunt,* Warmipotus quidam Medicus Salernitanus *videns eum in multis esse falsum, in pluribus verum, utpote in omnibus inordinatum cum quibusdam clericis optimis sibi adhibitis hunc librum in quantum ejus & eorum scientia diligens potuit, emendavit, & ordinem tractatus prædictum transmutavit, & errata diluendo, superflua resecando, ambiguaqve reserando prout nunc ordinavit, à particularibus incipiens ad similitudinem totius integri.*

obiter noto Cl. Wagenseilium in exercitat. vari argumenti p. 77. exhibere libellum Rabbinicum ad imitationem Scholæ Salernitanæ confectum, & plurima ejus præcepta referentem.

LX. MARCELLUS EMPIRICUS.

Theodosii senioris Archiater, patriâ Burdegalensis Ausonii pöetæ conterraneus. Ejus liber Medicamentorum ad filios suos scriptus passim reperitur. Editus

qvo

qvoqve est inter Medicæ artis Principes ab Henrico Stephano, & ab Aldo inter latinos Medicos. Tantum autem abest, ut Claudii Neronisqve temporibus æqvalis fuerit, ut qvidam putarunt, teste Conringio, ut etiam longe eo antiqvior sit Marcellus Sidites, qvem sub Marco Antonio libros XXII. medicos carmine heroico concinnasse Svidas testatur. Hujus Siditæ ni fallor συῤῥετὰν πρὸς τὰ πυρίκαυτα refert Ægineta libri IV. capite XI. Hieronymus qvoqve ejus meminit notante Vossio de Poëtis Græcis p. 75. Verba ejus hæc sunt libro 2. contra Jovinianum: *Legat qvi vult Aristotelem & Theophrastum prosa, Marcellum Siditem & nostrum Flavium* * *hexameris versibus differentes, Plinium qvoqve Secundum, & Dioscoridem.* Prætermisit autem Siditem inter Poëtas Medicos Cl Bartholinus, qvi Marcellum qvoqve Empiricum recensere poterat, qvoniam is librum suum de Medicamentis pöemate Medico, qvamvis non adeo prolixo, claudit. Hofmannus T. I. Lexici Universalis Marcellum Siditem de piscibus tractatum edidisse ait, in eamqve sententiam allegat Cassiodorum, verùm ubi hoc dicat Cassiodorus, non addit. Eqvidem libro III. Variarum Epistolâ ultimâ Marcellum qvendam apud latinos de subterraneis fluentis & de ipso qvoqve ore fontium solicite egisse Cassiodorus testatur. Idem alium qvendam Marcellum Carthaginiensem VII. libros de categoricis & hypotheticis Syllogismis scripsisse ait libro de Dialectica. Atqvi hi nihil ad Marcellum Siditem. Qvicqvid interea sit de aliis Marcellis, Empiricum hoc loco in illis Medicis recensere debuimus, qvos doctissimi viri plagii arguerunt. Brounii testimonium allegavit Almelovenius, qvibus Mercurialem lib. II. Var. Lect. cap. 27. Barthii in Adversariis aliqvot loca, & plures alios addere possemus, nisi absolvere mallemus Marcellum, propter ejus

* Flavinianum legit Mengering. informator. conscientiæ p. 734. atqve ita Erasmus qvoqve legisse videtur, qvi in notis ad Hieron. *Suum* inqvit, *Flavianum appellat opinor, ob patriam communem.* Vossio autem visum est ab Hieronymo Flavium ideo suum vocari, qvod latine scripsisset Hieronymi qve æqvalis fuisset, unde Flavium qvoqve inter latinos poetas retulit p. 58.

verba qvæ ſuperius, cum de Plinio Valeriano ageremus, à nobis adducta ſunt. Interim hîc obiter adhuc indicamus tres Plinii Valeriani editiones, qvas ſupra, qvod tùm ignotæ nobis eſſent, prætermiſimus: Primam reperi in Catalogo Bibliothecæ Franeqveranæ p. 62. ubi inter Medicos ap. Aldum Venetiis A. 1547. fol. editos Plinius qvoqve recenſetur. Poſteriores duas Nicolai Heinſii catalogus parte 1 p. 157. ſuggeſſit. Una eſt Argentoratenſis A. 1533. fol. cum phyſicâ Hildegardis Theodori diæta, Æſculapio de morborum cauſis &c. Altera Baſileenſis A. 1549. fol. cum Myrepſo Sorano, Apulejo &c. Mercklini qvoqve Lindenius renovatus p. 137. Plinii Medici librum de febribus extare docet p. 184. operis Veneti de febribus.

LXI. KURANIDES.

Non auctoris hoc nomen eſt, uti adverſus Barthium aliosqve oſtendit Reineſius libro I. capite 2. Var. Lect. Sed liber qvi varias Medicinales collectiones complecteretur, Arabico χυρανιδων nomine venit, qvaſi dicas συναγωγάς. Græcum MS habuit Gaulminius, qvi in variis Bibliothecis reperiri eum ait notis ad Pſellum περὶ δαιμόνων ἐνεργείας p. 94. Ex ejusdem Gaulmini ad Theodorum Prodromum animadverſionibus Græcum titulum producit Morhofius p. 99. Polyhiſt. Ait autem Græcus ille, non auctorem, ſe eſſe ſed interpretem, atqve ex Perſico Kuranidas convertiſſe. Malunt qvidam eruditi ex Arabico vel Ægyptiaco, tam vero antiqvum eſſe interpretem, ut & Olympiodorum ætate anteverterit. Latinum ex Græco fecit Gerhardus Carmonenſis, idem à qvo Avicennam ἀκόμψως verſum dicit Joſephus Scaliger in Epiſtolis. Male Cremonenſem eum vocant, vel aliam ei patriam affingunt viri docti, uti ex Plempii ad Aviſenam

nam prolegomenis monuit Colomesius p. 150. Opusc. Latinum MS. oculis usurpavimus in Bibliotheca Paulinâ, concedente Cl. Dn. Fellero, cui tum hoc nomine, tum infinitis aliis singulares gratias debemus. Ex illo MS. prodiit editio Lipsiensis A. 1637. cum notis, cui titulus: *Kirani Kiranides & ad eas Rhyakini Koronides.* Aliam memorat Morhofius editam Francofurti A. 1681. Priorem passim in Variis suis perstrinxit Reinesius, libri præcipue III. capite 15. Qvod cum male haberet Kuranidon editorem, is Reinesio vicissim aliqvot in Scriptis graviter insultavit, qvod tam ægre tulit Reinesius, ut ipse *Epistola* XIII. ad *Vorstium* tantum inde literarum tædium cepisse se dicat, ut deiis nullam fere seriam cogitationem de cætero suscipere possit. Oppositit deinde Kuranidon editori defensionem Variarum Lectionum Rostochii A. 1653. publicatam, ubi iterum editionem Kuranidon Lipsiensem perstringit p. 150. sqq. Qvæ autem de iisdem in variis suis dixerat, tuetur p. 66. sqq. E Plinii penu Kuranides structas esse asserit p. 164. Ibidem *non tuebar*, inqvit, *Kuranidon nugamenta* οὐχ ἱλαδόν ἐστιν ἐλέϑαι, *non portentosa mendacia, non insciliam barbaram, non vanitates magicas & manifestam impietatem ejus.* Qvo referendus locus in Variis, ubi plenum nugarum, etiam impiarum ex parte, nulliusqve usus librum appellat. Christianum tamen agnoscit, & cui interpres latinus multa ex seculi sui Ineptiis alleverit. A Kuranidon editore inter alia furti qvoqve literarii accusatus fuerat Reinesius, qvod à se avertit p. 113. sqq. defensionis, & vicissim, adversarium suum ejusdem criminis reum facit, p. 93. 99. & 118. Atqve hæc de Medicis dicta sunto, quibus Desiderium Jacotium, Davidem Abercrombium furis Academici auctorem, aliosqve plagii accusatos addere possemus, nisi ad alios transire animus esset.

Hanc Francofurtensem editionem cum a Græco, tum a latina Lipsiensi differe ex Morhofio apparet.

LXII. ARATUS SOLENSIS.

Hipparcho Bithyno observante Aratus τῇ ἐυδόξῳ συντάξει κ) κολουθήτας τὰ φαινόμενα γέγραφεν, αλλ' ὐ κατιδιαν παρατηρήσας, ἢ μαθηματικην κρισιν ἐπαγγελόμεν@ ἐν τοῖς ἀγνοίοις περὶ διαμαρταινόντων τ ἐν αὐτοῖς. Hoc est: *Eudoxi commentariis secutus phænomena scripsit, sed nec observatione propria fultus, nec Mathematicum judicium circa res cæleſtes volens interponere, ſuper illis qui in iisdem aberrarunt.* Ita, ni fallor, legendus & interpretandus iſte locus, cui alienam in verſione ſua ſententiam affingit Petavius p. 172. Uranolog. Quinam fuerit ille Eudoxi commentarius, paulo poſt Hipparchus docet his verbis: Ἀναφέρεται δ εἰς τ Εὔδοξον δύο βιβλια περὶ τ φαινομένων, σύμφωνα κ) πάντα σχεδὸν ἀλλήλοις πλὴν ὀλιγων σφόδρα. Τὸ μὲν ὖν ἐν αὐτῶν ἐπιγραφεται ἔνοπτρον, τὸ δ ἕτερον φαινόμενα. Πρὸς τὰ φαινόμενα δ Ἄρατ@ τῷ πίησιν συντέταχεν. Quod in ſequentibus prolixe oſtendit Hipparchus. At in vitâ Arati non ex Phænomenis ſed ex ἐνόπτρῳ Eudoxi Aratus poëma ſuum concinnaſſe dicitur pag. 269. Παρὰ τῷ βασιλεῖ (Macedoniæ, Antigono Gonata) γενόμεν@ καὶ ἐνδοκιμήσας ἔντε τῇ ἄλλῃ πολυμαθεια κ) ποιητικῇ προετράπη ὑπ' αὐτοῦ τὰ φαινόμενα γράψαι, ὃ βασιλέως ἐνδόξου ἐπιγραφόμενον βιβλιον κάτοπτρον ὄντος αὐτῷ κ) ἀξιώσαν@ τὰ ἐν αὐτῷ κ) λογάδην λεχθέντα πρὸς τ φαινομένων μετρῳ ἐκτεινειν. Quibus verbis à plagio in Eudoxum Aratus quidem abſolvitur, ſed aliud in Heſiodum eidem Callimachus objecit, qui Aratum Heſiodi ζηλωτὴν fuiſſe innuit hôc in eum ſcripto epigrammate;

Heſiodi ἀστρικὴ βίλος memoratur ad Aratum. Sed Athenæus Heſiodo ſuppoſitum fuiſſe indicat, cui citatur ὅτλῳ εἰς ἡσίοδον ἀναφε-

Ἡσιόδε τὸ δ' ἄειστμα κ) ὁ τρόπ@ ὁ δ' ἀοιδῶν
Ἔχατε ἀλλ' ὀχνέω μὴ τὸ μελιχρότατον
Τῶν ἐπέων ὁ Σολεὺς ἀπαμάξατο. χαίρετε λεπταὶ
Ῥῆσιες Ἀρήτε σύγγονοι ἀγρυπνίης.

Quod

Qvod epigramma ex Casauboni maxime Lectionibus Theocriticis emendatum hoc loco apponere volui, cum ante paucos adhuc annos id valde corruptum Excellentissimus qvoqve Dn. Joh. Andreas Schmidius in suam de Arato Exercitationem receperit. Ne qvis autem miretur in voce Ἀρήτῳ seu Ἀράτῳ pro qva ἀῤῥήτῳ legit Petavius, primam qvæ alias à Pöetis corripitur, hîc produci, sciat secundam qvoqve corripi in isto antiqvi Pöetæ:

Aut Arati numeros aut picta Manathonis astra:

Nisi & ibi prima in *Arati* producta, & ab aliqvo sciolo, qvi id concoqvere non poterat, vocula *aut* temere præposita fuit. Ovidius certe secundam producendam putabat, cum libro primo annorum vaticinaretur:

Cum sole & lunâ semper Aratus erit.

Ut vero Aratum Hesiodi Callimachus, ita Nicandrum Colophonium Antimachi ζηλωτὴν fuisse ejus Scholiastes Græcus observat, διότερ, inquit, καὶ πολλοῖς αὐτὸν κέχρηται, διὸ καὶ ἐνίοις δωρίζει. Quem Nicandrum cum Arato hic conjunximus, qvoniam idem post Ciceronem lib. 1. de Oratore fecisse videmus Josephum Scaligerum Epistola XIX. ad Vertunianum. *Oppono*, inqvit, *illi Nicandrum, qvi de iis rebus scripsit, qvorum ipse prorsus ignarus erat. Oppono Aratum, qvi ἀναστρολογητὸς* luculentissimo pöemate *τὰ φαινόμενα descripsit.* Non tamen fuit plagiarius Nicander, uti nec Aratus, qvanqvam ille qvoqve uti Solensis pöeta ex alio scriptore, qvisqvis etiam ille fuerit, materiam librorum suorum accepit. Alias enim homo ab agro remotissimus, uti Cicero eum appellat, de rebus rusticis præclare scribere non potuisset. Eundem Nicandrum Ὀφιόνικα sua sub ficto Conchlacis nomine edidisse ex Galeni VII. de simplic. medicam. notat Lambecius libro II. de Bibliotheca Vindobonensi p. 541.

ρομένην καὶ ἥσας ἀσφοδελίαν. Locus est libro 13. Dipnosophist.

floruit Nicander sub ultimo Pergami Rege Attalo. De eo ejusqve scriptis plura Deo volente dicemus ad Svidam.

lib. 15. de subtil. p. 892. sqq.

Duodecim viros inprimis subtilitate præstasse Cardanus animadvertit, Archimedem, Aristotelem, Euclidem, Johannem Scotum, Johannem Sviſſet, cognomento calculatorem, Apollonium Pergæum, Architam Tarentinum, Mahometum Algebræ repertorem & Alchindum Arabes, Hebrum Hiſpanum, Galenum & Vitruvium. Hos vero tres omne humanum ingenium exceſſiſſe, divinitati cuipiam propiores, Ptolemæum Alexandrinum, Hippocratem Coum & Plotinum. Jnter duodecim illos ſubtilitate præſtantes ſextum locum aſſignatum videmus Apollonio Pergæo, qvi id etiam ab antiqvitate meruit, ut ob inſignem artis peritiam, Huërio notante, magnus Geometra diceretur. Jnclaruit libris VIII. Conicorum, qvorum IV. priores græce adhuc extant à Snellio & aliis interpretati, qvintus ſextus, & ſeptimus diverſimode ex diverſis MSS. Arabicis latine redditus eſt ab Abrahamo Ecchellenſi & Chriſtiano Ravio. Octavus etiamnum deſideratur. Verùm omnis illa laus Apollonii peribit, niſi falſum eſt qvod Eutocius initio commentarii in Archimedem περί τῆς τῦ κύκλυ μετρήσεως ex Heraclio in vita Archimedis refert, *Archimedem primum omnium conſignaſſe Conica, Apollonium vero cum ea ſciret necdum edita eſſe ab auctore, involaſſe in illa, proqve ſuis edidiſſe.* Dn. Joh. Andreas Schmidius diſſertatione de Archimede. *Eqvidem fatendum*, inqvit, *haud penitus ſpernendam eſſe hanc ſententiam, qvippe qva clara Archimedis dictioni firmiſſimo qvaſi talo innixa ſufficienter comprobari videtur. Memorat enim ille ſcriptum de Conicis elementis libros Conicos &c. -- Praterea acutam hanc planis ſecandi conos ſcientiam ipſum non latuiſſe fuſè probare annititur Gvido Ubaldus in 2. ἰσοβαρικῶν Archimedis. Sed ſalvo aliorum judicio*

&

& Apollonio & Archimedi gloriam scriptorum de Conicis sartam tectam volumus, atqve illius qvidem ad nos perveniſſe labores, hujus verò periſſe ſine abſurditate putare poſſumus. Hæc ille.

LXIV. ÆSCHINES ATHENIENSIS.

Socratis amicus, cujus vitam deſcribit Diogenes Laërtius, libro II, de vitis Philoſophorum: Διεβάλλετο ὑπὸ Μενεδήμου Ἐρετριέως ὡς τὰς πλείστους διαλόγους ἔντας Σωκράτους ὑποβάλλοι παραμβάνων παρὰ Σανθίππης. Hæc Laërtius, apud qvem ex intervallo hæc qvoqve leguntur; Τάτου τὰς διαλόγους ϗ Ἀριστίππης ὑπώπτευεν, Ἐν γῶν μεγάροις ἀναγενόσκοντος αὐτὸ Φαιδωνᾶψαί εἰπόντα πόθεν σοι λῆρα τᾶντα; Utraqve reperias etiam in libelli Heſychii Illuſtris de Philoſophis, qvi ex Laërtio, uti pridem docti animadverterunt, maximam partem eſt compilatus. Prima verba mirifice vertit Ambroſius abbas Camaldulenſis, *is ſcilicet non erat, qvi hunc ſcriptorem exprimeret*, uti Barthius ait in Adverſariis, vel uti Philelphus Ambroſii æqvalis in Epiſtolis judicat, *qvi Græcæ orationis ſignificationem propietatem & elegantiam tenere ſe debebat arbitrari.* de hoc Ambroſio Cave p. 319 Chartophyl.

LXV. Auctor ETYMOLOGICI MAGNI.

Diximus de eo in Schediasmate de Lexicis Græcis, qvod huic tractatui ſubjicitur, §. XII. Senem doctiſſimum Ægidium Menagium capite 76. anti Bailletti de eodem egiſſe novimus ex Actis Eruditorum A. 89. p. 498. Sed ille liber ad manus noſtras nondum pervenit, uti nec Bailletti judicia, de qvibus nihil, niſi qvantum ex Morhofio & Ephemeridibus diſcere potuimus, ſcire nos

profitemur. Ex iisdem actis p. 496. Menagium à Bailletto plagii pöetici postulatum esse notavimus, qvi id excusavit, & alibi de furtis pöetarum dissertationem se condidisse professus est. Cæterum Eustathium Etymologici Magni compilatorem vocat Joh. Daniel Major de nummis Græce in scriptis p. 54. Uti vicissim Apostolium Eustathii descriptorem dicit Pantinus, Eundem Apostolium Palæphati descriptorem nominat Cornelius Tollius ad Palæphatum p. 140. ex qvo tamen plagiarium eum nondum agnoscimus.

LXVI. JOHANNES SCAPULA.

Vide Schediasma de Lexicis Græcis §. XVIII.

LXVII. PETRUS GALATINUS.

Hunc in arcanis Catholicæ veritatis plagiarium esse constat, sed cum alii Raymundum Martini, alii Porchettum (Henricus a Diest parte II. de ratione studii Theologici cap. 26. ex Buxtorfii pugione Judæorum tum temporis ἀνεκδότῳ labores suos ejus argumenti furatum esse, per errorem affirmat) ab eo compilatum velint, illud statuendum est deniqve, juxta Joh. Morini sententiam Porchetti vitulo arasse Galatinum, addidisse tamen aliqva dubiæ incertæqve fidei, qvorum non paucæ apud illum scriptorem allegata non minus ac scripta Hermetis Trismegisti, supposititia putat Casaubonis Epistolâ CCXCV. De qvo Galatini plagio præter B. Thomasium videri potest Maxime Rever. Dn. D. Joh Benedicti Carpzovii introductio in Theologiam Judaicam p. 90. 103. 113. 117. &c. Galatino Cl. Wagenseilius, in Sota p. 203. Dominicum Garciam in propugnaculis Religionis Christianæ contra perfidiam Judæorum, & p. 1105 Anto-

tonium Margaritam in libello vernaculo de fide Judaica ad latus ponit. Qvi etiam p. 200. docet, Judæis nihil esse sanctius, qvam auctorum nomina, per qvos profecerunt, non dissimulare, & p. 216. R. Jacobum Abendanam contra Judæorum morem R. Bechai suppresso ejus nomine exscripsisse.

LXVIII. ALBERTUS MAGNUS.

Petrus Petitus sive Parvus libro de Sibylla p. 64.

Sed & Algazel magni inter Arabes philosophos nominis auctor, in libro Averrois qvi inscribitur, Destructio destructionum Philosophiæ, de iis qvos natura vaticinio affines finxit, eodem plane modo atqve Albertus, differit, vel potius huic Albertus consentanea dixit, qvem ab Algazele, qvæ modo attuli, accepisse, ex utriusqve loci comparatione intelligi potest, ubi etiam eadem proponitur ingeniorum distinctio. Hic Albertus tantam voluminum omni genere doctrinæ refertorum scripsit multitudinem, qvibus omnes artes vocat ad arcem sapientiæ ancillaturas, *ut Theophrastum superasse crediderim,* (verba sunt yvonis Pinsarti) *vixqve valeant prela Lugdunensia in hoc impensissime à multis annis insudantia,* (Lugdini XXI. Tomis Alberti M. Opera prodierunt) *magno multorum terrori, qvi ab eo mutuati sunt, qvicqvid boni habent, hanc pratiosarum incompertarumqve curiositatum abyssum exhaurire.*

Averroem ex Themistio multa hausisse notat Vossius p. 81. de Log. naturâ.

* ap. Dn. D. Carpzov. p. 112. introduct. in Theol. Jud.

LXIX. FRANCISCUS VATABLUS.

Arnholdus Bootius Indice sacris suis animadversionibus præmisso: *versionem Tigurinorum junctim Robertus*

tus Stephanus, A. 1545. cum versione vulgata per columnas edidit in 8o. appositis passim ad locos quosque difficiliores scholiis locupletiss. ac doctissimis. Quæ scholia cum ipsius solius opus essent, insolidum omnem tamen eorum honorem vir modestissimus in præfatione transscripsit Francisco Vatablo, ac si ex ejus prælectionibus sublectum esset, quicquid boni in iis continebatur. Idem Bootius, paucis interjectis: *Quod in titulo scholia Vatablo rursus attribuuntur, nihil est, tantum enim abest, ut Vatablus secundis aut tertiis hisce scholis manum adhibuerit, ut ne prima quidem ab eo profecta sint, eaque sibi attribui indigne admodum tulerit, publiceque nihil illa ad se pertinere professus sit, cum multa Religionem reformatam sapientia in iis sparsa sint, à quâ ipse fuit alienissimus.* Sed vide Colomesii Galliam p. 8. sqq. ex quâ notas illas ex Vatabli prælectionibus excerptas esse apparet. Richardus Simon libro III. Criticæ V. T. Historiæ p. 70. de Vatabli notis loquens: *Rabbinos vulgo, inprimis D. Kirichi sequitur. Ejus notas perpetuas vocare possis, nihil enim occurrit, quod non perspicue admodum & breviter explanet, imo ut omnibus utilis sit, iis quandoque hæret, quæ non videntur ullâ difficultate laborare. Certe merito ejusmodi notæ à Rob. Stephano editæ pluris fiunt, sive vere Vatabli sint, sive pluriurum, ut vero similius, quorum nomina supprimit, inter quæ Calvinus est, cujus quædam in hisce notis extant.* Versionem quoque Bibliorum Vatablo tributam non Vatabli sed Rud. Gualteri esse, Teissierius parte I. Elog. des Scavans p. 4. & Kœnig in Bibliotheca ex Placcio retulerunt. Nisi potius Tigurina Leonis Judæ versio est, uti videtur ex Cornelio à Lapide ap. Colomes. p. xi. Galliæ Or. & Teissierio ex Melchioris Adami vitis parte II. p. 391.

LXX. BALTHASAR CORDERIUS.

Hunc

Hunc inter eos, qui aliena transscribendi sibique vindicandi sumserunt licentiam, præcellere putat Maxime Rever. Dn. D. Veielius de variis œconomiæ S. generibus p. 82. *Hic enim*, inquit, *in commentarium suum in Jobum cæteroquin non adspernandum ipsissimis verbis Joh. Calvini sed mentione viri nusquam factâ exornandum sibi censuit. Verùm Corderius excusari potest, eò quod forte nefas esse judicarit, si quispiam ex Societate profiteretur, se ex scriptis Calvini, capitis tàm exosi, profeciſſe.* Ita Salmeronem ex fontibus Johannis Feri areolas suas irrigasse observat B. Gerhardus libro 1. confess. Cathol. general. pag. 23. adeo quidem, ut pagellas integras in commentarios suos ex eo transtulerit. Henrici Stephani præfationem super expositione Psalmorum à Marlorato compilatam notat Reinesius p. 38. Epist. ad Vorst. Et longe plura ejusmodi exempla se nobis offerrent, si commentores inter se contendere vellemus, qui Sanctorum Patrum exemplum secuti videntur, dum unus alterum exprimit. Pridem enim est, cum Origenem in Hieronymo, Ambrosio, Hilario, in eodem Ambrosio, Basilium, Chrysostomum in Theophylacto & Oecumenio, Hieronymum in Rhabano, in Gregorio Augustinum, in aliis alios legi, eruditi homines animadverterunt. Non minor exscriptorum seges inter Postillarum scriptores offenditur, quorum aliqua exempla adnotarunt auctores der Postillen-Post & des Postillen-Reuters/ nobis non repetenda.

LXXI. ATHENAGORAS.

Sub hujus nomine, præter Apologiam & libellum de resurrectione, quæ genuina ejus scripta sunt, nisi quod male nonnulli Athenogoni ea tribuere maluerunt) fabula quædam Romanensis sed tantum Gallice decem libris

Scultetus parte I. medullæ patrum p. 57. dicit Athenagoram scripsisse libros 12. περὶ

τῶν εἰς ἑαυτὸν, qvi latent in Bibl. Gesneri, qvod mirum videtur Hornbeckio in Miscellaneis. Sed libri illi 12. sunt Marci Antonini, ad qvem apologiam suam scripsit Athenagoras. error vero est Sculteti.

* *adjudicat* perperam legitur in paralipomenis Colomesii ad Cave p. 3. edit Lipsiensis.

à Fumæo ex Græca lingua conversa extat, quæ de vero & perfecto amore inscribitur. De ea Gisbertus Cuperus in Harpocrate p. 119. *Eum tamen auctorem vix credere ausim genuinum esse, licet illud sentiant illustres & præstantes viri, quia integra loca ex Plutarcho, Livio, Herodoto, Curtio aliisqve auctoribus ad verbum fere descripta sunt. Qvod si fraus omnis abest, plurimi ille Athenagoras faciendus est certe, qvia tot antiqvitatibus aliisqve præclaris rebus abundat.* Meminit ejus qvoqve Rol. Maresius libri I. Epistolâ 26. Omnium autem plenissime de ea egit Petrus Daniel Huëtius elegantissimo libello de origine fabular. Romanensium, qvi p. 42. sqq. editionis latinæ Lipsiensis illam Athenagoræ prorsus abjudicat * & p. 57. Philandrum Vitruvii commentatorem fraudis hujus architectum esse suspicatur. *Ego*, inqvit Colomesius, *ampliandum censeo*, Præter hunc Athenagoram cui liber de vero amore tribuitur, qvemqve eundem esse putamus cum Episcopo Byzantino, cujus mentio fit in Philippi Cyprii Chronico Ecclesiæ Græcæ p. 4. alii qvoqve Athenagoræ apud veteres memorantur, ut Athenagoras Argivus apud Sextum Empiricum libro I. Pyrrhon. Hypothes. p. 27. Athenagoras rei Rusticæ scriptor ap. Varronem & Columellam. Athenagoras chirurgus ap. Martialem VIII. 41. IX. 97. &c. alius in historia Apollonii Tyrii teste Barthio p. 2602. Adversar. alius hujus nominis ap. Curtium IV. 5. 16. Historiarum, &c.

LXXII. FRANCISCUS COMBEFIS Dominicanus.

Qvzdam recensct Beughem. Bibliograph. curios. p. 106.

Optime de bonis literis', Ecclesiastica inprimis historiâ meritus editione auctarii novi & novissimi Bibliothecæ Patrum, Basilii, Maximi, Andreæ Cretensis, Amphi-

philochii, Hiſtoriæ Byzantinæ ſcriptorum poſt Theophanem, Conciliorum Maximorum, Theodori Ancyrani adverſus Neſtorium, manipuli originum rerumqve Conſtantinopolitanarum, qvi cum Allatio de Simeonum ſcriptis prodiit. &c. Nihilominus valde infenſum ſibi expertus eſt Petrum Lambecium, qvi eum paſſim perſtringit atqve caſtigat in ſuis de Bibliothecâ Vindobonenſi commentariis. Ejus aliqvot loca, qvibus plagii Franciſcum poſtulat, hîc apponemus: Libro VIII. p. 120. *Magnus ille Orbilius Franciſcus Combefiſius, qvi promiſcue in qvoscunqve viros doctos, ex quorum ſcriptis plagiarie compilandis putidam gloriolam ſibi qvæſivit, loco gratiarum actionis inſanâ maledicentia debacchatur.* p. 335. *Franc. Combefiſius in plagiario ſuo ex meis potiſſimum laboribus corraſo originum rerumqve Conſtantinopolitanarum manipulo.* Eundem manipulum plagiarium iterum vocat p. 462. & 463. ipſum Combefiſium *arrogantiſſimum aliorum laborum obtrectatorem, ſeu potius, ut ipſe thraſonice loqvi amat, exſufflatorem.* Qvemadmodum olim Brutus, qvi id cum vulgo commune habere ſe dicit, qvod cupiebat, vehementer cupiebat, ita Lambecius, cui ſemel infeſtus eſt, ei valde male cupit, uti in Aventino, Lazio & aliis qvibusdam animadvertimus, in qvos vel leviſſimâ data occaſione ſæpenum ero atrociter & ſine cauſa invehitur. Aventino, qvod admodum ridiculum eſt, ipſum qvoqve nomen invidet.

LXXIII. JANUS GRUTERUS.

Egregiam operam navavit literarum ſtudioſis, dum quinquaginta circiter auctorum hinc inde diſperſas ac cum tineis partim blattisque pugnantes in omne auctorum genus obſervationes uno ſex tomis diſtincto corpore complexus eſt, qvod lampada ſive facem artium libe-

Dolendum eſt, qvod præfationes plerumqve omiſerit. Prodiit illa Lampas Fran-

Tofurti A. 1602. & seqventibus in 8. Auctores in ea contenti enumerantur in catalogo Bibliothecæ Tobiæ Andreæ. k. 3. 6.

beralium inscripsit. Cui lampadi utinam oleum suffunderent alii viri docti, eumque scripta philologica colligenda laborem imitarentur. Equidem Joh. Philippus Pareus septimum Tomum adjecit, in quo præter analecta sua Plautina, Joh. Brantii, Georgii Reiteri, & Caroli Langii castigationes in Plautum exhibuit, verùm in illis analectis nihil fere nisi scommata & maledicta in Gruterum conjecta legas, ut non ad continuandum Gruteri laborem, sed ad nomen ejus diffamandum tomus ille adjectus videatur. Qua in parte, quamvis à Grutero lacessitus, illaudandum tamen facinus commisit Pareus, quod operi elegantissimo eique alieno bilem suam adfricuerit. In illis vero analectis præter alia Gruterus plagii in Plautina editione & in suspicionibus commissi sæpissime compellatur, imo tanquam plagiariorum antesignanus traducitur. Cum vero uti reliquas inculpationes, ita hanc quoque ex malevolo animo Plautinoque odio profectam esse appareat, fidem ei simpliciter habere non possumus. Non magis quàm ubi affirmavit Pareus Taubmannum in Plauti editione sibi suffuratum esse emendatorum supra trecenta locorum millia. Quod his verbis perstringit Christophorus Pflugius, sive, qui sub eo latet, Gruterus in præfatione ad Taubmannianam Plauti editionem à se interpolatam Anno 1620. *Si trecenta locorum millia & amplius ei sunt involata, emendavit utique & alia plura, à quibus noster ille abstinuit manum. Atqui omnes Plauti fabulæ continent solummodo ducenta vocabulorum millia, certe longissime absunt à trecentis millibus, unde necessario sequitur adhibita tortura Pareana cruciamenta singulis etiam ejus Comici syllabis. &c.* Quæ cum legerem, in mentem venit vulgatæ narrationis de nescio quo patre familias, qui apud vicinum suum conquestus est, felem jam nunc carnis fructum septem pondo de-

vo-

voraſſe. Cumque vicinus, homo ſcilicet feſtivus, gravitatem felis expenderet, ipſa vix qvatuor pondo eſſe reperta eſt, unde in manifeſto mendacio patrem illum familias deprehendit. Excuſavit tamen ſe Pareus, in præfatione analectis præmiſsâ p. 38. dicens hyperbolice locutum ſe eſſe, in hoc autem omnem Hyperbolen Senecæ judicio intendi, ut ad verum mendacio veniat. De Grutero præterea videndus Balthaſ. Venatoris panegyricus, qui & ſeorſim prodiit, & legitur in Wittii Philoſophis & Bateſii vitis cum elencho ſcriptorum Gruteri, & cum Friderici Hermanni Flayderi de vitâ, morte & operibus Gruteri hujus poſthumis in Tacitum & Livium notis à B. Franckenſteinio ſubjunctus eſt. Extant etiam Erneſti Stidæ Erfurtenſis manes Gruteri Erfurt. 1628. 12o. Ut Freherum in Theatro, Lotichium in parte tertiâ Bibliothecæ Poëticæ & tot alios prætereamus.

LXXIV. JOH. PHILIPPUS PAREUS.

Qvemadmodum hic Grutero & Taubmanno, ita viciſſim ei non tantum Gruterus plagii dicam dixit, ſed fere notorium eſt inter eruditos, in plagiariorum numero non ſupremum locum Pareo deberi. Doctus qvidam vir in Collegio MS. de legendis excerpendis & imitandis auctoribus ejus lexicon Plautinum electa & analecta Plautina recenſens nugatorem & ineptiſſimum compilatorem appellat. Idem alio loco notat eum lexicon ſuum Lucretianum ex Giphanii indice plagiario more compilaſſe. Idem alibi Pareum qvæ ad Qvintilianum dixerit, fere omnia ex Creſollii valationibus autumnalibus & theatro Rhetorum depromſiſſe animadvertit. Ita, inqvit, ſolenne ſuum obtinet, omnis enim illi clamat pagina, fur es.

LXXV. JOHANNES VORSTIUS.

In libro de latinitate merito suspectâ capite XVI. refert Gerharduin Titium suos dissertationum Sacrarum tres libros compilationem appellasse. Qvod cum illi á se inhumanitati tributum fuisset, respondisse Titium, vocabulum compilationis nihil indecori involvere, unde eum Vorstius inhumanitatis qvidem eo in loco absolvit, cæterum minus latine eo vocabulo usum esse contendit. At Johannes Georgius Grævius in elegantissima sua Justini editione qveritur, Johannem Vorstium non paucas Justini emendationes ex notis suis nomine Grævii plerumqve suppresso compilasse, unde dignus nobis visus fuit, qvi in hunc catalogum referretur. Obiter autem notetur Cl. Grævium, qvando cum Gronovio in præfatione Justini vulgatam lectionem sollicitat, & in verbis: *prorsus rem magni & animi & corporis aggressus* pro *corporis operis* legere jubet, qva in parte Vorstius qvoqve cum eo facit, non tam certis firmisqve argumentis niti, qvam ipse qvidem præ se ferre videtur, nam & vulgatam lectionem mirifice confirmat, qvod ex intervallo Justinus ex magno qvasi Trogi corpore *breve veluti florum corpusculum* fecisse se testatur. Et latinæ lingvæ genio non adversari, si corpus pro libri σωματοποιᾷ ponatur, multis auctorum exemplis confirmari possit. Ex qvibus hæc pauca nunc succurrunt: Columella lib. x. *Agressi sumus tenuem & pene viduatam corpore materiam, qva tam exilis est, ut in consummatione qvidem totius operis annumerari velut particula possit.* Diomedes libro III. *Metra etiam, qva Horatii corpus continet, qvod Carminum inscribitur &c.* Frontinus de aqvæductibus Romanorum: *Qvapropter ea, qva ad universam rem pertinentia contrabe-*

re potui, more jam per multa mihi officia servato, in ordinem & velut in corpus deducta in hunc commentarium contuli &c. Phœbadius: *Quanquam in omni professionis suæ corpore sic ipsum Dominum nostrum non negant.* Cassiodorus cap. 5. divinar. Lectionum. *Quæ depicta subtiliter lineamentis propriis in pandecte latino corporis grandioris competenter aptavi.* Ita *corpus juris* &c. Verùm non sentio hæc & leviuscula, & ab hôc loco alienissima esse. Quamobrem institutum nostrum prosequamur.

LXXVI. SAMUEL BUTSKIUS.

Samuel Butschky hat ein Buch die hochdeutsche Cantzeley genant/ Anno 1659. zu Zeitz gedruckt/ herausgegeben/ darinnen in 3. Theilen allerhand Brieffe nach dem ietzigen Cantzeley Stylo, wie er vermeinet/ enthalten. Hat auch eine Anführung zur hochdeutschen Rechtschreibung vorne beygefüget/ die er iedoch aus der vor diesen edirten Sprach-Kunst ohne Ordnung fast hin und wieder zusammen gelesen/ auch eins und andere aus andern so abstimmet herbeygefüget/ iedoch ohne allegirung einiges auctoris. Hæc ex Teutonici Varronis * Schottelii opere de linguâ Germanica retentis auctoris verbis adducere voluimus, qui hunc Plinii locum subjicit, ex quo Butschkium plagii à Schottelio argui appareret: *Est benignum ut arbitror, & plenum ingenui pudoris, fateri, per quos profeceris. Obnoxii profecto animi & infelicis ingenii est, deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere, cum præsertim fors fiat ex usurâ.*

* hoc elogio eum mactat Christophorus Arnholdus ad Catonis Dieras-Opus de lingva Germanica aureoluni appellat Zeilerus in Epistolis, prodiit Brunsvvig. A. 1663. 4. locus est libro 5. p. 1104.

LXXVII. VVILHELM IGNATIUS SCHUTZE.

Cancellarius Fuldensis, quem in libro Ehren-Preiß des hochlöblichen Frauenzimmers/ Cornelio Agrippæ licet semel tantum citato plurimum debere notat *B.* Thomasius Exercitat. de fœminarum eruditione §. 22. Idem dicas licet de Adriano Beverland, qui in dissertatione de peccato originis, quâ eandem sententiam, quam ante eum Agrippa T. 2. Operum p. 551. sqq. propugnaverat, defendit, semel tantum ejus meminit p. 44. Quamvis enim variis nequitiis undiquaq; conquisitis Agrippæ argumenta amplificaverit quasi atqve auxerit, quin tamen primum ab eo in stultam illam opinionem adductus ejusque argumentis, sed per verba nupta atque Priapeia circumscriptis usus fuerit, non adeo obscurum esse potest. Neque ex suo penu depromsit, quæ in Sacram Scripturam dixit homo vanissimus, sed ab aliis sublegit, ne, si quid ipse, quod sacris literis objicere posset, habuisset, id suppressurus fuisse videretur. Unde nec Ryssenius ad ea prolixe respondit, sed lectorem ad eos, qui scriptores, quos Beverland exscripserat, refutaverunt, ablegavit.

Andreas bis dicitur in B. Scherzeri Systemate Theolog. p. 142. librarii forte errore.

LXXVIII. JOH. JACOBUS HOFMANNUS.

De eo Baudrand præfat. ad Lexici sui Geographici secundam editionem, Paris, 1682. fol. *Non sine magna indignatione vidimus Joh. Jacobum Hoffmannum & alios quosdam audacter suppressis verorum auctorum nominibus aliena opera interpolata & depravata magis quàm aucta sibi vindicasse.* Neque diffitendum est, Hoffmannum integrum fere Baudrandi Lexicon in Tomum primum universalis sui operis transtulisse, sæpissime tamen Baudrandi nomen allegat, qvod semper facere tædiosum sine dubio fuit.

Unde

Unde virum diligentissimum plagii crimine absolvere malumus, præcipue cum ipse fateatur, nunqvam se sine teste loqvi, hoc est, nihil se in medium afferre, qvod ex domesticis, illius artis vel disciplinæ, cujus aliqvid explicat, scriptoribus non depromserit. Utilissimum autem laborem esse, qvem in universali lexico concinnando insumsit Hofmannus nullâ asseveratione indiget, & in primo Tomo plena fere Geographiæ, veterisqve Mythologiæ cognitio continetur. Tomus secundus, antiqvitates plurimas, officia, dignitates &c. exhibet. Genealogiæ qvoqve illustrium familiarum insertæ sunt, passim inspersis qvibusdam de doctorum virorum ætate, vita, scriptis &c. Qvod in tam grandi opere aliqvando lapsus fuerit vir doctissimus, & fieri potuit facillime & mirari nemo debet, cum tantus labor multorum nedum unius hominis humeris impar esse videatur.

LXXIX. MICHAEL ANTONIUS BAUDRAND.

Hic vicissim & majore forte jure à Gvilelmo Samsonio furti literarii postulatus fuit. Verba ejus hæc sunt in dedicatione disqvisit. Geographic. Paris. 1683. 12o. *jussit & ipsamet amica veritas eruditis notum faceremus hunc novum scriptorem parentis charissimi Nicolai suppresso nomine ex qvibusdam non illaudatis operibus ea sibi vindicasse, alia vero mendis refertissima illi falso attribuisse.* Eandem qverelam acerbius in præfatione repetit Samsonius, & ni fallor singulare de plagio Baudrandiano schedion extat eodem procul dubio auctore.

LXXX. DAMASTES.

Agathemeris libro primo Geographiæ: Δαμάσης ὁπόσε πὼς πέντε ἑκατοντάτε μεταγράψας πεζὸν ἔγραψεν. De hoc Da-

Damaſte pluta Harduinus ad Plinium & Tunnelius in notis ad Agathemerin p.76. quo notante Timoſthenem quoque Artemidorus, Artemidorum Agethemeris exſcribit. Eratoſthenis plagium (de quo Thomaſius §. 417.) idem Tunnelius tangit p. 79. & 97. Addam hic Strabonis locum è libro XVII. Geographiæ, *Tradunt Eratoſthenem dicere æſtivos imbres cauſam eſſe, idque ab Ariſtotele ſumſiſſe, Ariſtotelem verò à Thraſyalco Thaſio, qui unus fuit ex antiquis Phyſicis. Thraſyalcum autem ab alio, atque illum ab Homero, qui Nilum διιτρεφέα dixit. Sed omittamus hæc, cum à multis ſint pertractata, è quibus ſatis ſit duos afferre qui ætate noſtrâ librum de Nilo compoſuerunt, Eudorum & Ariſtonem Peripateticos. Nam excepto duntaxat ordine, cætera omnia & ſtylo & tractatu eadem fere ab utrisque poſita ſunt. Unde cum libros conferre vellemus, ac de exemplaribus hæſitarem, alterum cum altero contulimus. Uter autem ab utro ſurripuerit, apud Ammonem inveniri poſſet. Eudorus Ariſtonem in culpa eſſe dicebat, & profectò ipſum dicendi genus potius erat Ariſtonis.* De hôc ſive Ariſtonis ſive Eudori furto conſer. Voſſ. de Hiſtor. Gr. lib. 2. cap. 4.

de augmento Nili ſtrabo, ibi agit.

LXXXI. JOH. BRUNNERUS.

Bonav. Cornelii Bertrami Grammaticam Ebræam fere exſcripſit, notante Maxime Rever. Dn. D. Pfeifero in Methodo Ebræâ, ubi ad LXX. Chriſtianos ſcriptores recenſet, qui Grammaticis Hebraicis ſcribendis operam navarunt, qvorum primus fuit Joh. Reuchlinus, uti inter Judæos R. Juda Chiug. Feſſanus. Judæorum libros Grammaticos refert Hottingerus p. 42. Bibl. Rabbin. & paſſim qvi præter eum ſcripta Rabbinica recenſuerunt, Buxtorfius, Plantavicius, Bartoloccius, R. ben Joſeph in Siphte Jeſchenim &c.

LXXXII. CASPAR ENS.

Stephani Broderici prælium Mohatzianum fere integrum in res suas Hungaricas transscripsit, uti notatum video in Actis eruditorum A. 88. p. 543.

LXXXIII. WILHELMUS RONDELETUS.

Hunc Thuanus plagii cujusdam arguere videtur, dum opus de piscibus, qvod hominis nomen maxime posteritati commendavit, eo minore laude ab eo vulgatum esse affirmat, qvod illud potius alienæ industriæ qvàm suæ debuerit, utpote ex Gvilielmi Pelliceri Episcopi Montispessulani commentariis concinnatum. Alias de illo Rondeleto, cujus vitam Joubertus qvoqve scripsit, vide, qvæ collegit Teissierius in elogiis.

LXXXIV. CLAUDIUS FRASSENIUS.

Natalis Alexander Dissertatione anticriticâ disquisitionibus Biblicis Frassenii oppositâ dicit eum è Waltono, Morino, Buxtorfio, Huëtio aliisqve disqvisitiones illas, æqve ac olim ordinis sui fratrem Galatinum arcana sua é Raimundi Dominicani pugione corrasisse & compilasse. Notavit hoc Gvilelmus Saldenus de libris p. 155.

LXXXV. NATALIS ALEXANDER.

Vicissim Alexandrum illius criminis argui video, qvod in selectis suis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus, sæpe-

penumero alieno vitulo araverit. Neqve Frassenius tantum compilatoris plagiariiqve hæreticorum nomine eum diffamavit, sed ab aliis qvoqve hoc in eo taxari animadverti. Petavii scrinia expilare dicitur Maxime Rever. Dn. D. Michaeli Walthero|, in erudita Exercitatione, *Jesus ante Mariam* §. XXIV. *Petavii plumis se denuo ornavit Natalis Alexander.* Ejusdem verba sunt sub finem § XXV. Cæterùm Excerpta ex illis selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus aliisqve qvibusdam Alexandri scriptis in Ephemeridibus & Actis Eruditorum exhibentur. Loca notavit Beughem, Bibliograph. curios. p. 10. Dixit etiam aliqvid de Alexandro, & inter alia immodestiam ejus perstrinxit Dn. M. Georg. Henricus Gœze in Miscellaneis Historico Criticis cap. 2.

LXXXVI. HONORIUS PHILOPONÙS. aliiqve Pseudonymi decem detecti.

Honorii Philoponi Historia novi orbis Lentiæ A. 1621. in fol. excusa auctorem agnoscit Casparem Plautium Abbatem Seidenstætensem in Austria inferiore, uti testatur Joh. Justus Winckelmann in der Americanischen neuen Welt-Beschreibung p. 30. Oldenburg A. 1664. 40.

Comparationis Homeri cum Virgilio Gallicè editæ uti plurium ejus commatis scriptorum auctorem Rapinum esse constat. Sed qvi nomine suo suppresso illam comparationem ex Gallico latinam fecit, dicitur esse elegantissimus Janus Broukhusius.

Histoire de S. Lovis Paris. 1688. 40. Ejus auctorem Dn. Christianus Thomasius in mensibus vernaculis A. 88. parte 2. p. 403. Varillasium videri ait, qvi antea qvoqve

qvela Minorite de S. Lovis vulgaverit, nisi qvod in hac historia majus circa qvædam, qvam Varillasio judicium appareat. Sed Acta Eruditorum ejusdem anni p. 454. ex Cl. Basnagii relationibus Roterodamensibus auctorem esse affirmant. Dn. de Sacy. Cæterùm passim in illis Thomasii mensibus anonymi investigantur, qvos tamen, qvoniam pridem forte Cl. Placcio lecti sunt, hic excerpere nihil attinet.

Sub Petri Aurelii nomine grande volumen in IIII. partes distinctum exstat Paris. 1646. fol. Jesuitis oppositum qvorum familiam ducebat Jacobus Sirmondus. Apologia qvoqve pro Petro illo Aurelio edita est. Kœnigius in Bibl. ex Maresio dicit sub Aurelio latere Johannem Vergerium abbatem Sancyranum Grotius Epist. ad Joh. Cordesium : *Sed qvis tandem ille Petrus Aurelius? si tamen nosci sine suo periculo potest. An Sancyranus, an de S. Germano, an alius?* Nisi verisimilius est, qvod Grotius qvoqve Epist. 329. ad eundem Cordesium magis credere se profitetur, opus illud sub Aurelii nomine editum ex plurium contributâ operâ constare, alio forte bonarum literarum & eloqventiæ subsidia, alio Ecclesiasticæ notitiam historiæ, alio spinosam illam de Scholâ Theologiam conferente. Non minimam tamen partem contulerit iste Vergerius.

Auctor continuationis, postillæ Harmonicæ D. Georg Christian Waltheri, qvi initialibus tantum literis nomen suum expressit, est M. Obadias Trew. Prodiit illa Postilla Noribergæ 1659. 8o.

M. Gottlieb Heyland *personatus scriptor, revera haud alius, qvam Henricus Gebhard Cancellarius Ruthenus & Altenburgicus, cujus variis scriptis Gera editis tractatum de Chiliasmo B. Gerhardus Pater opposuit.* Hæc adscripsi ex Max. Reverendi Dni D. Valentini Alberti dissertat. XIX. ad Augustanam Confessionem p. 543.

Theophilus Nicolaides est Vœlkelius, si credimus Curcellæo, vel Smalcius, si Wissovatio pluribusqve fides est. Smalcii certe patrem prænomine constat dictum fuisse Nicolaum. Hæc Sandius in Epistolâ ad B. Scherzerum, qvæ præfationi secundæ editionis Collegii Anti Sociniani inserta legitur. Ibidem Sandius auctorem notarum in libellum Smiglecii A. R. docet esse Andream Reuchlinum, hoc est Smalcium. De qvibus amplius vide in bibl. anti Trinitariorum.

Optatus Gallus de cavendo Schismate est Hersenius presbyter Parisinus homo cerebrosus, judicii pauci, vehementissimus concionator, quique in congregatione Oratorii Parisiensis vixerat &c. vide vitam Morini p. 54.

Vitæ Morini, quæ cum variis Epistolis à Morino & ad Morinum scriptis sub titulo Ecclesiæ orientalis antiquitatum Londini A. 1682. tum Lipsiæ A. 1683. prodiit, auctor esse videtur Rich. Simonius. Ab eodem est Synopsis novorum Bibliorum polyglottorum, quæ Ultrajecti A. 1684. 8vo publicam lucem adspexit. Patet hoc ex libro III. Historiæ Criticæ V. T. p. 133. sq. & notavit Cl. Tenzelius dissertat. de Bibliis Polyglottis §. 19.

LXXXVII. RICHARDUS SIMONIUS.

Congregationis Oratoriæ, quam Petrus Berullus circa A. 1613. Parisiis in honorem precum Christi instituit, bresbyter doctissimus, inter præcipuos ætatis nostræ scriptores merito numerandus. Hic nomen sibi tum aliis scriptis, tum Criticâ præcipue Historiâ peperit, qua nihil hodie est celebrius, nihil quod magis in omnium ore versetur. Occurrunt tamen in eadem non pauca, quæ verum verbi di-

Gallice scripta est à Simonio. Latinæ, qvam Simonius ad-

divini amatorem ac venerãtorem, quales omnes Christianos esse decet, jure offendere queant. Unde factum quoque, ut non tantum plurimi obiter Simonium in scriptis suis perstringerent, uti Joh. Henricus Majus in vita Reuchlini p. 532. Saldenus in Otiis Theolog. p. 29. sq. Jacobus Basnage in examine methodi à Clero Gallicano propositæ. Fridericus Spanhemius in selectioribus de religione controversiis, Max. Revend. Dn. D. Pfeifferus in thesibus anti Atheisticis &c. sed & ex instituto alii in peculiaribus scriptis ejus Criticam V. T. aggrederentur. Saldeno auctor præfationis (ipse procul dubio Simonius) ad septimam Criticæ editionem aliquid reposuit, cui respondit Saldenus præfatione ad tractatum de libris, in quo ipso Simonium non semel perstringit. In eadem septimæ editionis præfatione Basnagio qvoqve aliqvid regeritur, qvi epistolicam illi dissertationem opposuit, qvæ cum Epistola Chrysostomi ad Cæsarium excusa est. In illis, qvi ex instituto adversus Simonium calamum strinxerunt, primùm commemorandus venit Ezechiel Spanhemius, qvi satis prolixâ Epistolâ amico, nescio cui, Historiæ Criticæ vix editæ, qvam qvod suppressa esset, ipse consulere non poterat, argumentum ita recensuit, ut non pauca simul in ea censeret. Ei Theolog⁹ qvidam Parisiensis ipse scilicet Simonius anno nondum integro interjectô respondit. Tum Carolus Maria de Veil Metensis, Regius primùm in Academiâ Adegavensi Theol. Doctor, postea Fulhamensis Ecclesiæ in Anglia presbyter, editis præterea in Joëlem, Canticum Canticorum, Matthæum & Acta commentariis non ignotus, Sacræ Scripturæ auctoritatem in Epistola ad Robertum Boyle adversus Simonium defendit, cui cum Simonius sub nomine R. de j' Isle presbyteri Ecclesiæ Gallicanæ aliqvid regerere

huc' yeme, vix Epitome esse dicitur. Latine reddidit Alexander de Verse, & aliut qvidam Anglus.

conatus fuisset, longiorem illi Veilius Epistolam reposuit, cujus excerpta habes in Actis Erud. 86. p. 104. Petrus qvoqve Ambrunus Theologus uti præse fert, reformatus peculiari scripto ostendere laboravit Simonii Criticam non minus Papistis qvàm protestantibus adversari, ideoqve Parisiis suppressam fuisse, fingi qvoqve interdum qvædam à Simonio &c. Hunc omnibus Simonii antagonistis præferre non dubitat editionis qvam diximus septimæ procurator. At non defuerunt, qvi uti præfationis illius auctorem, ita Ambrunum etiam ipsum Simonium esse asseverarent. Neqve reticendus nobis Max. Reverendus Dn. D. Joh. Benedictus Carpzovius, qvem primo loco nominare debebamus, cum enim post B. Scherzeri obitum à professione Ebrææ lingvæ ad Theologicam transiret, orationis suæ inauguralis argumentum Criticæ Simonianæ discussionem esse voluit, qvâ cardo ejus & præcipuum qvod in traditionibus asserendis versatur fundamentum everteretur. Habita illa oratio & edita est Lipsiæ A. 1684. Prodierunt & qvorundam Batavorum Theologorum judicia de Critica V. T. Simonianâ, qvorum χρηματισμὸς habes in Actis Erud. 86. p. 432. Qvæ prior Bollevillanus hoc est Simonius regessit, vide ibid. p. 439. Neqve vero Theologi illi defensionem judicorum suorum suscipere refugerunt, qvæ in iisdem actis recensetur 87. p. 363. Opposita huic defensioni est Prioris Bollevillani, qvem Simonium esse diximus, Epistola de inspiratione librorum Sacrorum cum responso ad defensionem, cujus præcipua referuntur ibidem p. 367. Cum in Critica suâ Isaacum qvoqve Vossium Simon perstrinxisset, ipse Variis Observationibus suis responsionem ad objecta nuperæ Criticæ Sacræ subjecit, qvæ posterioribus etiam Criticæ editionibus subnexa legitur. Notum autem est, controversiam inprimis mo-

Theologi Batavi in judicio super Critica Simonii.

motam fuisse Vossio super sententiâ de LXX. interpretum auctoritate & Hexaplis Origenis. Prodierunt postea Simonii disqvisitiones Criticæ de variis Bibliorum editionibus, cum castigationibus Theologi cujusdam Parisiensis ejusdem videlicet Simonii ad Js. Vossium de Sibyllinis oraculis & illius responsionem ad objectiones nuperæ Criticæ 5. Excerpta leguntur in Actis Er. 85. p. 2. Jsaaci Vossii ad iteratas Simonii objectiones responsio Criticæ cum aliis subjicitur. Huic responsioni opposita fuerunt Rich. Simonii opuscula Critica adversus Vossium cum Hieronymi le Camus (Simonii puta) judicio de nuperâ Vossii responsione. Nucleum habes in Actis Erud. 86. p. 106. Nondum tacendum sibi Vossius putavit, sed appendici ad Melam subtexuit responsionem ad tertias Simonii objectiones. Vide eadem Acta 87. p. 222. qvæ p. 223. Pauli qvoqve Colomesii Gallicam ad Justellum Epistolam recensent eidem appendici subjectam, qvâ non pauca ad Simonii Criticam facientia ἀξιομνημόνευτα notantur in his errores quoque nonnulli, ut cum Suniam & Fretellam Simonius pro mulieribus habuit, quod pridem in Riveto reprehenderat Reinesius p. 375. Var. Lect. Hæc omnia acta sunt, antequam de Critica Novi instrumenti Historia, cujus spem in Critica V. T. toties fecerat Simonius, quicquam publicè legeretur. Ejus liber primus editus est sub hujus anni auspicium Gallicè Roterodami in 4to, recensitus in Actis Erud. 89. p. 114. 166. In eo Socinianis favere est visus, quod classicum illud 1. Joh. V. 7. dictum, *Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlis &c.* solâ Ecclesiæ traditione, quam frustra ipsis opponas, nitiaffirmet. Quin & illud meruit, ut ab auctore der monatlichen Unterredungen/ (qui dicitur esse Dn. T.) pag. 255. sq. atheis annumeraretur. Tametsi à Deismi crimine eum absolverint Theologi Batavi in suo judicio. Verùm hac

hunc locum vindicat Seldenus lib. 2. de Synedriis p. 91. seqq.

de re alii viderint, noſtrum nunc eſt, ut de plagio ipſi objecto aliquid dicamus. Iidem Theologi Batavi dicunt Simonium quamvis ſerio diſſimulantem proteſtantes Criticæ ſuæ Magiſtros habere. Morini vitulâ araſſe Simonium Mstis ejus uſum animadvertit vir quidam vicinæ Academiæ Clariſſimus in Collegio Ms. Morini ex opere de pœnitentiâ locum tacito nomine exſcribiâ Simonio, obſervavit Tenzelius diſſertat. de ritu Lectionum Sacrarum §. 33. Bocharto eum plurima debere notat Jacobus Basnage Epiſtolicâ diſſ. adverſus Simonium p. 153. *Legerat*, inquit, *apud Bochartum Criticus illam, quam ſibi vindicat de verſionibus Syriacis & Arabicis ſententiam non ſolum prius editam, ſed validiſſimis obſervationibus confirmatam. Hauſerat apud Bochartum monſtrum illud, quod Jonam deglutut eſſe piſcem longum, aut canem* Δαλάσιον. *Jam animadverterat idem vir ſummus mendum illud, quod in verſione vulgatâ notarit Criticus, reddi debet enim*: ſubnervarunt boves, *non quemadmodum vulgatus interpres*: ſubverterunt muros. *Miror ſolummodo Simonium acutæ naris hominem &c.* Non pauca quoque judicia cum Arnholdo Boëtio ipſi communia eſſe video, à quo num ea ſublegerit, judicent alii.

LXXXVIII. JOH. GUILELMUS STUCKIUS.

Verſione & notis in Arriani periplos clarus, quas in ſua etiam editione retinuit Nicolaus Blancardus. Notior adhuc apud plerosque ab editis Antiquitatum convivalium libris, quos multo limatius & longe majoris ſtudii opus Sauberto * videtur, quàm liber Stuckii de ſacris ſacrificiisque Gentilium, qui prodiit Tiguri A. 1598. fol. Idem Joh. Saubertus filius in præfatione ad ſuum de veterum ſa-

* p. 688. de ſacrificiis. editus eſt Jenæ 1659. 8vo.

sacrificiis opus condendit Stuckium *in libro de sacrificiis* non solùm turpiter sæpius lapsum, sed & parùm egisse, cùm quia ἀτάκτως incedat & fastidiosè luxurietur, tùm quia compluria ex Choulio auctore libri Gallice scripti *de la religion des anciens Romains* & Gyraldi syntagmate XVII quod totum de sacrificiis agit, fœdissimo furto diripuerit. Choulium confidentissime aliquoties nulla ejus factâ mentione à Stuckio exscribi ait p. 366. & p. 418. Stuckium Choulii compillatorem appellat. Gyraldi Chouliique adsentatorem p. 466. ubi Choulium quoque ipsum, uti p. 367. plagii in Gyraldum commissi arguere videtur.

LXXXIX. ALBERTUS DURERUS.

Cubi διπλασιασμὸν ab Eratosthene jam olim traditum in Epistola ad Ptolemæum Regem, ut proprium inventum Geometricis elementis suis inseruit, suppresso interim prioris auctoris nomine non immerito ingratitudinis & plagii crimine ob id forte arcessendus, judice Jac. Nicolao Loënsi libro III. Epiphyllidum cap. 1.

pictor lignorumque incisor celebris, patriâ Noribergensis, floruit circa A. 1510. Ejus scripta habent Miræus, Vossius & alii.

XC. PAULUS JOVIUS.

De eo Georgius Fabricius Epistolâ ad Wolfgangum Fusium in Richteri Melanchthonianis p. 627. *Qui tantopere laudant, ut omnibus eum nostris hominibus præferant, eos profecto insanos judico. Historicus est, sed non vir verus. Doctus fuit & ingenio valuit, sed vita & mores turpissimi. Episcopus fuit, sed quod Samuel de sui temporis scribit sacerdotibus, nescivit Dominum, & ignoravit officium sacerdotum. Reprehenditur etiam à Veneto quodam viro gravi, quod*

ali-

alienis laboribus usus sit pro suis. Venetum illum adhuc requiro. Alias de subleſta ejus fide nota ſunt Bodini, Lipſii, Voſſii aliorumque maximorum virorum judicia. Vide quæ de Jovio collegerunt Zeilerus, Teiſſierius & Eybenius. Nimis ethnice paſſim loqui Delrio quoque obſervat. Epicureum ejus de Sodomia Leonis decimi judicium refert Voëtius diſſertatione de atheismo T. 1. ſelect. p. 204.

XCI. ANTONIUS VARILLASIUS.

In hujus Hiſtoriâ Caroli IX. primum fortuito & ſua ſponte, dein auctore conſcio nec invitô Hozierius etiam à bibliopola & amicis rogatus ultra 4000. errores ingenti cum labore adnotaverat. Varillaſius inde novam eamque emendationem Hiſtoriæ ſuæ editionem procurans adeo tamen ingratus fuit, ut contra promiſſum nullam accepti beneficii mentionem faceret, ſed id omne ſibi vendicaret, qva de re qværitur Hozierius in quadam Epiſtola, quam exhibet Larroqvanus in libello *nouvelles accuſations contre Varillas.* Vide Acta Erud. 88. p. 250.

XCII. FLORIMUNDUS RAIMUNDUS.

In alio opere Varillaſius Raimundi echo à Burneto vocatus fuit, unde de Raimundo dicendi anſam capimus, cui non infimus inter plagiarios locus debetur. Nam liber ejus, quo Johannam Papiſſam negare voluit, Richeomo Jeſuitæ rectius tribuitur notante Blondello, Mareſio, Riveto, nec diſſentiente Labbeo, quorum omnium

omnium loca allegavit Maxime Rever. Dn. D. Valentinus Alberti m grundlichen Gutachten über etliche neu aufgewärmete Päbstische Schrifften / p. 36. qvi de ejusdem Raimundi historia hæresium simile judicium ferre non verctur, qvod nec improbant Acta Erud. 88. p. 247 & 461. ubi idem à Burneto notatum refertur, qvi insuper Sanderi exscriptorem esse animadvertit.

XCIII. LUDOVICUS MAIMBURGIUS.

Hunc inter plagiarios relatum lege à Domino Veielio de Variis Oeconomiæ Sacræ generibus sectione VI. Quo pacto pauca ex recentioribus polemicis Pontificiorum scriptis notam illam effugere poterunt, in quibus semper antiqua cantilena occinitur, quam orthodoxi toties ex sacris literis explosérunt.

XCIV. PETRUS LAUREMBERGIUS.

Acerræ Philologicæ auctor furti à B. Thomasio arguitur, quod tacito Rollenhagii nomine ejus de phœnice sententiam & verba in compendium redacta sua fecerit, Laurenbergio Deusingium qvoqve addit Thomasius Rollenhagiiq; vitula eum arasse suspicatur. Scilicet ipse Rollenhagius bonum esse communicativum sui pronunciavit, uti Thomasius §. 628. libri de plagio refert. De illius Rollenhagii glaubwürdigen Lügen ita Schortelius opere de lingva Germanica lib, V. p. 1191. Es sind aber nur ins teutsch übergesetzte Sachen aus dem Luciano, Plinio, Secundo &c. Qvod tamen de multis istius libri falsum esset inspectio docet. Leonici vero Thomæi variæ Historiæ diss. de phœnice §. 193.

nihil fere aliud continent, nisi narrationes ex Pausaniâ paucisqve aliis auctoribus Græcis non ineleganter latino sermone expressas, qvi tamen raro nominantur. Conf. Vossius lib. 3. de Historicis Latin. cap. 12.

XCV. JOHANNES BOCCACIUS.

Vibius Seqvester ad Virgilianum filium scripsit de nominibus fluminum, fontium, lacuum, nemorum, paludum & gentium, qvæ poëtis memorantur. Editus est Romæ primum, tum Venetiis, deniqve cum Æthico, * Antonini & Rutilii itinerariis à Simlero Basileæ A. 1575. 12o. Cl. Vossius libri de philologiâ capite XI. observat huic scriptori plurimum debere Johannem Boccatium, qvi ante annos trecentos libellum & ipse reliqvit hâc inscriptione: *Johannes Boccacii de Certaldo de montibus, silvis, fontibus, lacubus, fluminibus, stagnis sive paludibus, de nominibus maris, ad Poëtas intelligendos scriptus* Venet. 1473, & 1497. 1514. &c. Nec inutile sit, inqvit Vossius, eos scriptores conferre. Cum vero passim exscribat Vibium Boccacius, mirum sane ejus nusqvam mentionem facere. Tantum enim signat his verbis: *Secundum qvosdam, ut qvidam, ut placet aliqvibus, alii vero dicunt, ut qvidam dicunt.* Ut merito hâc parte candorem viri reqviramus. Idem Boccacius in opere de Genealogia DEOrum Fulgentii Mythologiam, etiam cùm non citat, gnaviter exscripsit, adeo ut ex Boccacio in non paucis emendari Fulgentius potuerit. Qvamvis, si Barthium audiamus, ipse qvoqve Fulgentius arrogans, invenustus, semibarbarus & sesqvisolœcus scriptor Hyginum compilavit. Locus est libri X. Adversariorum capite 12. sed acri-

* de Æthici Cosmographia vide Barth 45. 13. Adversar. Reines. 1. 13. Var. Lect. & defension. p. 55. & 117. Jac. Godofredum præfat. ad anonymum Geographum Gr. à se editum. Hallervord. in spicileg. de Historicis latinis &c. Orosium & Isidorum multa ex Æthico descripsisse Barthius L. c. notat, Antonini vero itinerarium vel Julio Oratori vel Æthico tribuendum esse

acrius paulo hoc Barthii judicium esse qvivis mecum fatebitur. Nimirum voluit vir ille alias non indoctus antiqvis interdum detrahendo judicii minime vulgaris opinionem sibi comparare. Est sane Fulgentius scriptor lepidissimus, neqve à Musis alienus, tametsi, qvod non est negandum, ineptire qvandoqve videatur. A plagii vero suspicione eum absolvit, qvod ea, qvæ affert, aliis, ac Hyginus, testibus confirmet.

contendit Vossius de Philologiâ p. 59.

XCVI. MATTHIAS FLACIUS ILLYRICUS.

Verum ejus nomen Francowiz, patria Albona, qvemadmodum in ejus vitâ Melchior Adami testatur. Præter editionem Gregorii Turonensis & Conradi à Lichtenaw seu Abbatis Urspergensis, item versionem Nili de primatu Papæ, triplici potissimum nomine & apud eruditos gratiam meruit, & Ecclesiæ prodesse visus est. Primùm qvidem vulgato Catalogo Testium Veritatis. Deinde procuratis centuriis Magdeburgicis, qvarum postea apologiam in se suscepit. Deniqve elaboratâ Clavi Scripturæ. Catalogus Testium veritatis editus est Basileæ 1556. tum Argentinæ 1562. & passim aliqvoties, digestis secundum temporis ordinem testimoniis à Petro Apostolo ad A. C. 1517. Simon postea Goulartius illum librum non aliter, ac si proprius labor esset, tractavit, addidit, rejecit, qvæ voluit, pro lubitu, & accuratiore, ut præ se fert, ordine chronologico digesta testimonia in xx. libros distinxit, ut aliud fere opus videretur. Prodiit duobus Tomis Lugduni 1597. 4o. auctius vero Genevæ 1608. fol. ubi ad A. 1517. ad A. 1600. testimonia adjuncta reperiuntur. Sed merito qveritur B. Thomasius

* dissertat. de Nigello Wireckero §. 18 Vide & §. 47. & Schediasma Historicum p. 61.

sius * qvod sua à Flacianis nullo signo Goularrius distinxerit. Johannes vero Conradus Dietericus Catalogum illum uti à Flacio profectus erat, sincerum exhibuit, elogia & censuras doctorum virorum præmisit, notulas qvasdam adsperſit, & auctarium addidit, etiam tractatus aliqvot à Flacio editos, ut: de Papæ primatu, & similes subjunxit. Prodiit dissimulato D. eterici nomine Francofurti A. 1666. & Cattopoli 1657 4o. Sed adjectum illud fuit in editione novissimâ Francofurtensi A. 1672. 4o. Catalogus iste Flacianus integer fere legitur in Joh. Wolfii Tabernæmontani ICti Lectionibus memorabilibus. Flacius vero ad illum concinnandum totam Stiriam, Austriam & vicinas regiones perreptavit, libros undiquaque conquirens, dissimulataque persona & habitu plerasq; Monasteriorum Bibliothecas perlustrans, è quibus etiam quos potuit libros clam secum abstulit, teste Melchiore Adami in ejus vitâ & Paulo Ebero in literis ad Farenheidium. Guilielmus Eysingrenius suum Flacio Catalogum Testium veritatis oppositit, qui & duos adversus Historiam Magdeburgensium Centenarios emisit. Illius Historiæ Magdeburgensis princeps auctor idem Flacius fuit, *vir certe prodigiosæ cujusdam industriæ, librorum immanis bellua, & Bibliothecarum abliguritor, furiosus tamen Theologus & insanus*, quod Rich. Montacutii de eo judicium est in apparatu ad origines Ecclesiasticas. Sed is Montacutius *vir certe doctus, sed admodum præsidens & tumidus aliorum contemtor & sugillator* audit Riveto lib. 1. Apologiæ pro Maria, cap. X. Historiæ autem Magdeburgicæ XIII. Centuriæ perfectæ sunt, manum operi admoventibus Basilio Fabro, Andrea Corvino, Johanne Wigando & aliis. Singulæ Centuriæ XVI. capitibus distinguuntur, quorum argumenta Georgius in Apparatu Theologico enarravit. Cui Calixtus ad manus non est, legat apud Eybenium p. 558.

Cont.

Conf. & præter alios Johannes Hornbeckius in Miscellaneis. Interim, ut ait Vossius de Philologia p. 78. Judicio non exiguo opus est in Centuriatoribus, nec in Baronii Annalibus minore, quos interea negare non possumus præclare meritos esse de Antiquitate Ecclesiasticâ. Genebrardi vero, aliorumque Pontificiorum insana in Centurias maledicta, uti non ex judicio sed odio profecta sunt, ita neminem sanum movere debent, ut Centuriatores & in his Flacium maxime laude suâ privandos esse arbitretur. Qvem Flacium Rich. Simonius libro III. Criticæ V. T. Historiæ capite 13. majorem longe nominis famam sibi comparaturum fuisse putat, nisi Lutheranus fuisset. Eo capite Simonius judicium fert de clavi scripturæ à Flacio edita, in eaque auctorem magnam styli scripturæ cognitionem ostendere fatetur. Plures interim Regulas ex Hieronymi & Augustini libris mutuatum esse, & solummodo in majori luce posuisse. Cui addendum, quod Maxime Rever. Dn. D. Georgius Mœbius in Canonicâ suâ Theologiâ observavit, *Flacium omnes Canones de verbo ad verbum ex Francisci Ruizii tractatu de Regulis descripsisse.* Qvemadmodum B. Glassio Axiomata in Philologiâ S. formata Flacius fere suggessit, quo de vide Dn. M. August. Herm. Franckium Exercitat. de Grammaticâ Hebræa §. xx. Optima editio clavis Flacianæ est Jenensis A. 1674. fol. in qvâ per summum virum Johannem Musæum errores obelisco notati, deque illis lectores peculiariter moniti sunt, adjectâ etiam noti erroris Flaciani de peccato originis refutatione. Liber in duas partes est distinctus, quarum prima explicationem vocum & phraseologiarum Scripturæ instar Lexici continet, altera plures tractatus ad Scripturam felicius intelligendam interpretandamque facientes suggerit. Præterea de Flacio vide, quæ post alios in elogiis suis collegit Antonius Teissierius.

XCVII. VITELLIO PROCLUS &c.

vixit medio Seculo XIII. ejus Optica emendavit Frid. Risnerus, Paralipomena ad eum dedit Joh. Keplerus. * adde p. 160. 162.

Vossius de Scientiis Mathematicis p. 58. *Compluria ex Theodosii Tripolitæ Sphærâ Ptolemæus hausit, & Ptolemæo recentiores Pappus, Proclus, Theon. * Multa item, sed dissimulato Theodosii nomine exscripsit Vitellio, ob quæ tamen maxime fuit admirationi.* Idem p. 109. *Pulchra item est opera Vitellonis sive mavis Vitellionis, quam Opticis impendit libris X. Utcunq; vero multum laudis meruerit, fatendum tamen hausisse sua ex quatuor istis, Euclide, Archimede, Ptolemæo & Alhazeno. Ac sic quoque reperias in eo, quæ emendationis egeant.* Idem Vossius ejusdem operis p. 165. Proclum Lycium parùm laudis sphæra suâ meruisse affirmat, qvia id opus ex Gemini Isagoge exscripserit p. 314. dicit Lucam de Burgo magnâ ex parte accepisse à Leonhardo Pisano, qvæ tradiderit in Arithmeticis suis lingvâ Italicâ grandi volumine exaratis. p. 234. ait *Scaligerum majori in pretio haberi promeritum ab illis, qvi, ut mihi qvidem videtur, nimis dissimulant, qvantopere Herois illius laboribus fuerint adjuti.* Qvo in loco Petavium similesqve perstringi verisimile est. p. 429. meminit Vossius Athanasii Kircheri, qvem operis, qvod *Ars magna lucis & umbræ* inscribitur, non auctorem sed interpretem tantum repertum esse ab amico qvodam accepimus. Ejus qvidem narrationis veritatem præstare jam non licet, merito tamen probamus Thomæ Bangii verba, qvibus utitur in Cælo Orientis. p. 89. *Sordet semper, qvam fucatus labor mentitur, gloria. Intervenit sæpe acutum cernens sollersqve candor, & unico ostensi veri halitu difflat fucum, tectumqve plagii cum probro nudat nævum. Qvò fit, ut qvi Scriptorum aqvila antea fuerit, mox ad instar Æsopicæ cornicis, alienis, qvibus insolescebat*

bat pennis, denudatus appareat talis, qvalis est. Idem Vossius laudati operis pag. 434. Apollonii furtum memorat, qvod nos qvoqve supra attigimus. *Fortasse*, inqvit *rudiores chartes Archimedis nactus fuit Apollonius, atqve eas perfecit*: p. 440. *Mirum*, ait, *tam multa legi in Aristoxeni Musicis, qvæ etiam habentur iisdem verbis apud Aristidem Qvintilianum, & Emanuelem Briennium. Nempe alii alios illaudato more exscripserunt.* Obiter ex eodem elegantissimo de Mathematicis libro Anonymos aliqvot detectos commemorabo. Compendii de Mathematicis disciplinis Parisiis A. 1540. editi auctor est Gvilelmus Postellus, uti docet Vossius p. 40. Nescio utrum aliud sit qvod memoratur p. 457. Tabulas perpetuas longitudinum ac latitudinum planetarum ad meridianum Lovanienſem A. 1528. nomine suo præterito edidit Henricus Baersius aliter Vekenstyl dictus, uti disco ex p. 186. Christophorus Scheinerus Jesuita sub nomine Apellis post tabulam latentis ut aliorum judicia cognosceret, A. 1512. libellum edidit de maculis Solaribus vide p. 198. Georgius Reischi Carthusianus Argentinæ A. 1515. dissimulato nomine suo edidit Margaritam Philosophicam. cont. p. 354. Euclidis Elementorum Geometricorum libris latine à se translatis præfationem de Geometriæ laudibus atqve usu, sub alieno nomine præmisit Joachimus Camerarius A. 1549. Sed 28. annis post A. scilicet 1579. nomen suum reposuit, eodem Vossio observante p. 377. Idem p. 205. & 447. dicit anonymi ἐξήγησιν εἰς τετράβιβλον Ptolemæi Basileæ ab Henrico Petri editam Proclo à qvibusdam adscribi.

XCVIII. JOHANNES NEANDER.

Idem Vossius p. 190. ejusdem libri Chronologiam Medicorum promittit, cujus gustum habemus in aureo-

lo

lo libro de Philoſophiâ & ſectis Philoſophorum. Ægidius quoque Menagius Medicorum Hiſtoriam ſcripſiſſe ſe teſtatur cap. 27. amœnitat. juris, ſed illa nondum publice comparuit. Reineſius Epiſtolâ XVI. ad Vorſtium *Veterum*, inquit, *Medicorum Hiſtoriam poſt Brunfelſium, Champerium, Squarcialupum, Fuchſium, Caſtellanum qui hoc ſeculo ſcripſit, & Bibliothecarum Medicarum compilatores digerere & ipſe tentavi. Negligenter eam partem eruditionis tractarunt, quiqui manum admoverunt. E. Celſi, Plinii, Galeni, Athenæi, Cœlii Aureliani, Aetii, Oribaſii ſcriptis multos eruditos nemini obſervatos.* Idem Hiſtoricos etiam poſt Voſſium collegit uti cognoſcitur ex Epiſtolis ad Hoffmannum. Ejus Eponymologicum latet apud Bibliopolam, quod cur non edit? æque ſane utile gratumque futurum eſſet ac Inſcriptionum corpus, eruditum illud quidem, ac Jonſio qvoqve expetitum, ſed qvarum maxima pars jam legitur in Reineſii ad Hoffmannum Epiſtolis. Medicorum Hiſtoriam itidem mirifice illuſtrabit Joh. Baptiſtæ Caponi * Hiſtoriæ Medicæ Univerſalis liber præcipue quartus & quintus. Hieronymi Welſchii affectos in hôc ſtudiorum genere libros vide ap. Morhofium p. 52. & 59. Polyiſt. Idem p. 62. Martinum Fogelium Hiſtoriam Medicorum præteritam molitum eſſe ait, cujus Hiſtoriæ Phyſicorum ad prelum paratæ meminit & Placcius de anonymis p. 39. Meiboniani operis de vitis Medicorum ab auctore aliqvoties promiſſi filius ſpem quidem, ſed vanam hactenus fecit. In Catalogo Mss. Arabicorum Cl Golius ex oriente advexit, num. 83. in fol. eſt liber cujus titulus: *Claſſes ſeu Hiſtoria Medicorum diſtincta ſecundum gentes & ætates.* Num. 15. in 8. *Gadam fer Tauriſius de Raſis doctrinâ & ſcriptis, item de Philoſophis antiquis & recentioribus.* Num. 29. *Abii Fergii Catalogus librorum Medicorum, qui primis 400. annis Hegiræ ab Arabibus compoſiti fuerunt vel verſi.* Nu-

* vide Morhof. p. 212.

per

per qvoqve de Historiâ Medica recenti Inprimis bene merere conati sunt Lipenius, Mercklinus, Witte, Freherus, Beughem, Bullartius & alii. Præterea qui de Medicis Medicorumqve scriptis egerunt, non pauci recensentur à Voglero cap. VIII. introduct. generalis, & sparsim à Labbeo ac Teissierio in Bibl. Bibliothecarum &c. In illis nomen quoqve comparare sibi voluit Johannes Neander Bremanus, sed *quem aliorum fere semper scripta nullo indicio, nullaque ratione habitâ temporum expilare, absurdaque sæpissime atque sibi ex adverso pugnantia in medium adducere atque pronunciare, item aliorum παράεργα tacito nomine non tam exscribere quàm corrumpere* notat in Galeni chronologico elogio * Philippus Labbeus. Idem in Bibliotheca Bibliothecarum *Hunc*, inquit, *alienæ doctrinæ decoctorem merito dixeris, qui à Petro Castellano, Melchiore Adamo, aliisque, quos in Syllabo auctorum nec nominare sustinuit, omnia ferme sua hauserit, ac sæpius αὐτολεξεὶ descripserit.* Ac paucis interjectis: *Non sincera insuper fide in proloquio ad Lectorem monet Castellani & aliorum, qui vitas Medicorum scripserunt, ad manus sibi non fuisse scripta in illo opere, cum tamen pleraque omnes paginæ ipsorum verbis sint contextæ.* In illa Bibliothecâ suâ aliquot præterea plagiarios Labbeus notat, uti Antonium Salam, qvi anonymi auctoris * Mstum de vita & moribus Philosophorum librum pro suo edidit Casali A. 1603. in 4. Hollanderum & Sanderum, qvi ex Ms. Dionysii Harduini de scriptoribus Flandriæ libro areolas suas irrigarunt &c. ἀλλὰ γὰ ἔκαστα γράφειν οὐκ εὐχερές. Si hæc nobis sine convicio abierint, porro centuriatim alio tempore in plagiarios dabimus impressiones. Nunc centuriam semel cœptam absolvamus.

* ap. Voglerum p. 47.

* Gvalteri Burlæi, uti eodem observante statuunt Lelandus, Balæus, Pitseus, Vossius &c.

XCIX. BERNHARDUS AUTUMNUS &c.

Quemadmodum Apollonio Grammatico olim objecit Aſclepiades Myrleanus, ὅτι παρὰ κλέωνος τὰ πάντα μετήνεγκεν uti eſt apud Scholiaſten Apollonii Rhodii ad lib. 1. Argonaut. Ita de recentioribus non paucis Poëtarum interpretibus dicere poſſis, quod alieno labore notas ſuas perfecerint. De Bernardo Autumno Iſaacius Grangæus comment. in Juvenalem affirmare non dubitat, eum nihilboni, niſi quæ ex veteri Scholiaſte ſurpuit, in commentarium ſuum tranſtuliſſe. De Theodoro Pulmanno Henninius: *Mirari quandoque ſubit audaciam umbraticorum quorundam, qui otioſi ita alienos labores ſuo nomine præſcribunt, ut à Pulmanno factum video.* Angelum Sabinum paſſim Fidentini nomine perſtringit Domitius Calderinus ſuis in Juvenalem notis. Vide inprimis ad Satiræ III. v. 218. Idem Calderinus Brotheum quoque Grammaticum furti alligat in defenſione commentarii ſui in Martialem. Chabotium vaſto in Horatium commentario multa inutilia congeſſiſſe, & Torrentinum pænè integrum exſcripſiſſe ait vir doctus eo in loco, quo Pareum plagii ab eo accuſari ſupra dicebamus.

C. AUCTOR GEOPONICON.

Concludam hunc Catalogum brevi disquiſitione de Auctore XX. librorum de re Ruſtica, qvos ex Ms. codice Græce primùm edidit Johannes Alexander Braſſicanus Baſil. 1539. 8vo latine vertit Janus Cornarius, & poſt eum Antonius Lacuna. Mſtum pervenit poſtea ad Herbſtium ſive Oporinum, unde accepit Sambucus, deniqve translatum eſt in Bibliothecam Auguſtiſſimi Impe-

Imperatoris, ubi locum CXLIX. occupat inter Mss. Græca philologicâ teste Lambecio lib. 2. de Bibliothecâ Vindobonensi p. 537. Ad alios tres codices Palatinos collata Geoponica cum interpretatione latinâ & notis doctorum edere recepit Hieronymus Commelinus, quibus num steterit promissis, nescio. Qvinqve autem potissimum sententias de librorum illorum collectore in erutorum scriptis observavi, qvas omnes, si qvis falsas esse asseveraverit, forte non adeo à vero aberravit. Id ego distincte jam sum demonstraturus, quod ubi fecero, nihil tamen propterea habebo certum, quod dicam. Quidam eos tribuerunt Constantino Magno, quod perqvam fuit absurdum. Nam primum quidem multa sunt iis in libris, quæ recentius seculum liqvido indicant, deinde præter paucas Epistolas nihil scripsit Constantinus Magnus, nedum ut ad rustica se demiserit, neqve si tale quicqvam in literas misisset, id præteriturus erat Eusebius. Ut taceam præfationem tam aperte Constantinum Porphyrogenetum designare, ut cœcum esse oporteat, qui non animadvertit. Quid enim est τὸ πρπνὸν τῆς πρφύρας ἀπάνθισμα? cui potius quam porphyrogenito convenit illa doctrinæ magnitudo, quæ Constantino ibi tribuitur, illi quidem, qui post plurimos imperatores Constantini primi Christianorum Imperatoris virtutes maxime æmulatus fuerit? Hinc quoque factum est, ut alii Constantino Porphyrogenito Geoponicon collectionem tribuendam esse arbitrarentur. Vir doctissimus Lilius Gyraldus *videndum quidem*, inquit, *& sane considerandum, an hujus Constantini Ducæ libri XX. sint de totâ re rusticâ, qui hodie leguntur ex diversis & variis scriptoribus concinnati, cujus argumenti & ordinis alii leguntur sub Heronis Philosophi nomine.* Neque alienus est ab hâc opinione Gerh. Joh. Vossius de philosophis capite VI. Verùm

dialogo V. de historia Poetar. p. 208. T. 2. Opp. edit. Basil.

hæc ſententia refellitur, quòd non tantum genus ſcribendi in Geoponicis diverſum ſit ab aliis Porphyregeniti ſcriptis, ſed & auctor Imperatorem iterum alloquatur lxx. tmemate VI. ὦ τιμιώτατε. Ut dubitandum non ſit, Conſtantino Porphyrogenito dedicatos fuiſſe hos libros ab auctore, cujus nomen cum ignoraretur, interjecto tempore in locum ejus Conſtantini nomen fuit aſſumtum. Item cum aliqui in titulo Baſileenſis editionis legerent: *Libri Conſtantino Cæſari nuncupati.* Hoc male ita intellexerunt, ac ſi Cæſari tanquam auctori adſcripti fuiſſent. Alii ſunt, qui Caſſio Dionyſio Uticenſi vendicandos putant, à qvo XX. libros de re ruſtica ex xxviii. libris Magonis punicâ lingua ſcriptis Græcè contractos Varro memorat libro 1. Ac miratur Dn. Placcius in pſeudonymis p. 178. quod Naudæus Conſtantinum adhuc alleget, cum pridem ſcire debuerit Geoponica Dionyſio Caſſio à doctis vindicata eſſe. At induci non poſſum, ut eos quiqui Dionyſio ea adſcribenda exiſtimant, vel unum in iis verſum legiſſe credam, adeo omnes paginæ illi opinioni refragantur. Nam ut præfationem omittam, neque memorationem Conſtantinopoleos objiciam, quod tamen urbis nomen aliquot demum à Dionyſio ſeculis obtinuit, plerique omnes auctores, qui in editis XX. libros allegantur, non Magonis duntaxat & Dionyſii, ſed Varronis quoque ætate longe minores ſunt, uti ex ſubjecto auctorum elencho quivis videre poteſt. Et ubi ſunt in noſtris Geoponicis, quæ Varro Plinius, & Athenæus ex Dionyſii Georgicis allegant? Ineptus omnino videar, ſi in hac opinione rejicienda longius temporis ſpatium inſumam. Adrianus vero Junius Caſſianum Baſſum Scholaſticum Geoponicon collectorem fuiſſe contendit libri I. capite 20. & libri VI. capite 1. Animadverſorum. Adde ejus adagia p. 164. & 288. Mylii hortum Philo-

loſoph. p. 264. Barthium XXI. 23. Adverſar. qui alibi per errorem Conſtantinum Baſſum appellat, Caſſiani Baſſiani opus de agriculturâ Ms. in Italiâ apud Monachos latitare, quod non diverſum eſſe putetur ab eo, qui Conſtantini Cæſaris nomine circumfertur, ex Geſneri Bibliothecâ notavit Placcius ad Rhodium num. IV. Huic ſententiæ adeo quod opponamus, non haberemus, niſi in editis Geoponicis Caſſianus duplici vice allegaretur. Quinta denique conjectura eſt Jeſuitæ Harduini, qui ad Plinium ſuſpicatur Vindanii Anatolii Berytii opus Photio codice CLXIII. memoratum idem eſſe cum libris, quos de re Ruſticâ hodieque græcos habemus. Verum huic ſuſpitioni tria inprimis adverſantur. Primùm Berytius longe antiquior fuit Conſtantino Porphyrogeneto, cui tamen edita Geoponica ſunt dedicata. Deinde in editis Geoponicis ſunt libri XX, cum Berytii tantum XII. fuiſſe Photius teſtetur. Denique Berytius ſæpiſſime in Geoponicis allegatur, nec Berytius duntaxat, ſed & Anatolius & Vindanionius quaſi tres diverſi ſcriptores fuerint, cum unum fuiſſe, ſi à Photio ſtare velimus, aliter ſtatuere non queamus. Etiam in argumento libri Geoponicon primi, tanquam diſtincti recenſentur. *Collecta ſunt ex Florentini & Vindanionii & Tarantini & Anatolii & Berytii & Diophanis & Leontii & Democriti & Africani paradoxis &c.* Quæ cum Photio conciliet, qui poteſt. Præterea fateor Geoponicis non male convenire Photii judicium, quod de Berytii collectaneis tulit, ſunt enim in illis quoque nonnulla πραγάδη quale eſt, quod libri VII. capite 14. dicitur efficaciſſimum adverſus vini corruptelam remedium eſſe, ſi dolio θεῖα iſta γράμματα inſcribantur ex Pſalmo XXXIV. 8. *Guſtate & videte, quoniam ſuavis Dominus.* Vel ſi eadem verba pomo inſculpantur, pomumque in vinum abjiciatur, Li-

bri X. capite 88. fructus integros in arboribus conservari, si adscribantur verba Psalmi I. *& erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet.* Libri XIV. capite 5. serpentes columbarium deserturos esse, *si quatuor ejus angulis inscribas nomen ADAM.* Quæ superstitio sine dubio nititur Pseudo Sibyllino illo, quo singulæ hujus vocis literæ primas quatuor mundi cardinum literas exhibere dicuntur:

vide Smetii antiquitat. Noviomag. p. 41.

Ἀνατολὴ
Δύσις
Ἄρκτος
Μεσημβρία.

Libro XX. capite 18. ut pisces innumeri confluant, dicuntur ostreæ alicui inscribenda esse nomina: *ἰαώ, Σαβαώθ.* Ostrea autem in undam projici jubetur. Vide & quæ in auctorum indice voce *Homerus* notavimus. Libri tamen XIII. capite 5. cum ex nescio quô scriptore retulisset mures ex agro fugari, si charta ante solis ortum illuc reponatur, inscriptis verbis: *ἐξορκίζω μῦς τὰς ἐντᾶνθα* &c. *Hoc*, inquit auctor, *adscripsi, ne quid reliquisse viderer. Non probo autem haec omnia μὴ γένοιτο. Et omnibus auctor sum, ne ad ridicula ejusmodi animum intendant.* Alias, de auctore, quæ certo affirmare possim, non habeo, quam Christianum fuisse, uti constat ex præfatione, & his libri 1. verbis: *Atque hoc ex experientia quidam affirmant, quod à septima Martii ad quartam decimam, tempestas rigidior fere fieri consueverit, nam his diebus innumeri martyres paganis traditi cum beluis decertarunt.* Deinde Constantinopoli scripsisse, quod probari potest ex l. 1. capite XI. ubi recenset, quænam astra singulis mensibus cum sole

le occidant. Item ex libro XII. ubi quid quovis mense in climate Constantinopolitano serendum vel plantandum sit, docet. Illud quoque ex supra dictis in confesso est scripsisse tempore Constantini Porphyrogeniti, utpote cui libros suos inscripsit. Antiochiæ aliquando fuisse, ibique Camelopardalim ex India allatam vidisse setestatur libri XVI. capite 22. Libro autem XV. *Non solis*, inquit, *rustica rei studiosis utilia colligere allaboravi, sed Philologis quoque librum meum accommodare volui.* Inprimis hoc feciſſe videtur libro XI, in quo varias Mythologias recensuit, qualis est illa de Daphne & lauro vatidica, quam latinis parum notam esse agnoscit Giraldus Dialogo 2. historiæ poëtarum p. 74. Hoc etiam monendum est, quod vulgo fere negligi video, quædam nomina auctorum capitulis inscripta merito suspecta videri, & collectorem aliorum sententias suis plerumque non auctorum verbis exprimere, uti id multis argumentis confirmare possem, nisi minus necessarium existimarem. Libri III. capite 13. quod è Paxamo desumtum esse dicitur. *Hac de re*, inquit, *in alio meo Georgico opere libro 3. capite 27. plenius actum reperies.* Quæ verba itidem nemo Paxami sed collectoris esse putaverit. Libri XX. capite 6. pleniorem de omnium piscium generibus tractationem in aliud tempus rejicit. Hæc de Geoponicis dicta sunto, nunc scriptores, quibus eorum auctor usum se esse professus est, recenseamus.

uon quasi nomina corrupta essent, sed qvod posita sint, ubi non debebant,

Ex Absyrto, lib. XVI. tmem. 1. 3. 8. 19. 21.

Ex Africano II. 17. 27. IV. 2. V. 24. 31 49. 50. VII. 9 14. 29. 30. 31 IX. 8. 14. X. 9. 17. 31. 32. 33. 37. 50. 54. 56-57. 60. 67. 83. XII. 38. XIII. 3. 18. 1. XIV. 16. 21. XVII. 6. 11. XVIII. 4 5. 11.

Africanus citatur. V. 46.

Ex Anatolio II. 9. V. 10. 18. 26. 27. VI. 3. 4. 13. VII. 28. X. 8. 19. 73. 86. XI. 20. XII. 7. 36. XIII. 17. XIV. 12. XVIII. 16.

Ana-

Anatolius citatur XIII. ιβ.

--- & Tarantinus ἐν τῷ περὶ σπορβόλης XII. 4. forte caput tantum designatur non peculiare opus,

Antonii Augusti nomine aliquem esse inter Geoponicos scriptores auctor est Vossius libro de Philologia, sed eum neque in Græcis neque Latinis reperire potui. Forte habetur in catalogo auctorum rei rusticæ, quem edidit Joach. Camerarius fil.

Ex Apulejo II. 7, VI. 11, VII, 26, VIII. 19. IX. 19. X. 22. XIII. 5.

Apulejus citatur I 7, II. 17. 38. V. 34, XIII. 8. 9. ῥωμαϊκός I. 16.

Ex Arato I. 2. 3-6.

Ex Aristotele XIV. 26.

Aristotoles citatur III. 3. XIII. 16. XV. 1. 9.

Asclepius XX. 6. de piscibus eo in loco agitur.

Ex Berytio. II. 8. IV. 11. V. 11. 34. VII. 33. VIII. 5. 14. 15. X. 20. 39. 70, 71. XII. 37, XIII. 12. XIV. 11. 19. XVIII. 17-19.

Ex Cassiano V. 6. & 37. ubi perperam Βασιανῦ legitur. Hic est Cassianus Bassus, de quo diximus.

Ex Damageronte vel Δημηγέροντ ☞. II. 29. 30. V. 21, 22. 38. VII. 13. 24. IX. 18. 26. X. 13 64-66. XII. 11. 35.

Damageron citatur XI. 29.

Ex Democrito II. 6. 40. IV. 7. 10. V. 4. 5. 36. 44. 51. VI. 19. VII 4. 8. 27. 32. VIII. 12. 21. IX. 12. 25. X. 5. 15 16. 26. 28. 29. 36. 48 49. 52. 61. 62. 68. 74. 75. 80. 81. 90. XII. 6 XIII. 1. 11. XIV. 5. 8 XV. 9. XVII. 4. 9. XVIII. 6. XIX. 4. 8. XX. 4.

Democritus citatur I. 7. 14. 41. V. 2. X. 30. XI. 5. 13. 15. 17. XIII. 8. 9. 14. XIV. 15. XV. 2. 7. XVII. 14. XX. 6. φυσικῶ τινα παρατήρησιν παραδιδὺς. II. 13. Physicus XIX. 7.

Ex Didymo I. 7. 13. II 3. 16. 25. 32. 34. 47. IV. 3. 13. 14. V. 3. 14 28. VI. 5. 6. 10. 18. VII. 18. 19. IX. 15. 31-33. X. 3. 6. 18. 27. 34. 46. 47. 69. 27. 78. XI. 5. 18. 25. XII. 3. 4. 14. 18. 28. XIII. 2. 14. XIV. 2. 3. 9. 14. 15. 24. XV. 3. 5. XVI. 22. XVII. 3. 20. XVIII. 3 8. 14. 15. XIX. 7. 9. XX. 3.

Didymus citatur XIII. 4. ἐν τῆς γεωργικῆς X. 12. 21. 38. 44 77. 85. 88. 91. XVI. 22.

Ex Diophane I. 8-10. II. 7. 10. V. 7. 32. 45. 46. VI. 12. VII. 3. 17. IX. 20. X. 12. 21. 24 77. XII. 9. XIII. 9. XV. 7. XVIII. 13.

Diophanes citatur X. 30. XI. 3. 25. ejus τρίτην βιβλίον VI. 15. - -

Ex Florentino I. 1. II. 21. 24. 31. 35-38. 43-46. IV. 1. 8 12. V. 1. 2. 9. 12. 13. 15, 17. 51. 53. VI. 1. 2. 7 8. 14 16. VII. 7. 37. VIII. 4. IX. 2-7. 16 28-30. X. 1. 2. 7. 14. 30. 38. 42. 43. 58 59. 76. 91. XI. 7-9. 26. XII. 2. 13. 20. 27. XIII. 8. XIV. 1. 7. 22. XV. 2. XVII. 1. 2. 23. XVIII. 1. 9. XIX. 6. XX. 1.

Florentinus citatur I. 13. II. 31. 32. V. 14. X. 53. 67. 77. XI. 17. 19. XIII. 9. 14. in Georgicis X. 4. 51, XVI, 22.

libro

libro I. & 2. Georgicon I. 8. in undecimo libro IX. 14.
Ex Frontone VII. 12. 22. XII. 10. XIX. 14.
Ex Hippocrate XVI. 10.
Hesiodus VII. 6. locus est I. ἔργων v. 366. sq.
Homeri versus 170. Iliad. β. ad prandium hausturum recitatus ebrium fieri non sinit. VII. 31. Versus 387. Iliad. ε. arboribus adscriptus impedit, ut fructus ne decidant. X. 68. Versus 511. Odyss. X. citatur. XI. 13.
Judas Libyorum Rex. XV. 2.
Ἐκ κυνηγ. II. 20. XI. 3.
Ἐκ κυνηγ. II. 39. III. V. 8. VII. 1. 2. IX. 10. X. 23. 89. XII. 19. XIV. 6. 13. XVII. 5. XVIII. 10. citantur etiam V. 14. X. 2. Sed & p. 50. legitur: τὸ ὑποδηλοῦν σημαίνει. malim Κυνηγ.
Ex Leontio vel Leontino II. 22. 23. V. 48 VII. 34. VIII. 13. IX 11. X. 4. 51. 53. 79. XI. 21. XII. 33. XIV. 17. 18. 25. XV. 8. Leontea vocat Photius.
Manetho XX. 6. de piscibus ibi sermo est.
Ex Μαρωνεῖ XII. 6. θεραπεία εἰδητέρως ἑρμηνευων τὸ ἐν τῷ ἀλεξικάκῳ Σωφρονεῖν καὶ ἐλεγεῖα πινέγυρις &c. Haec ex Marone desumpta esse non possunt, sed auctoris verba sunt. Expungendum itaque τὸ Μαρωνεῖ, & Νεστορεῖ reponendum.
Nestoris illius σοφιστοῦ ἀλεξικηνοῦ iterum allegatur XII. 17.
Idem ἐν τῇ πανακείᾳ citatur duplici vice XV. 1.
Ex Oppiano XX. 2. 10
Orphei versus duo de abstinentia a fabis. II. 14.
Ex Pamphilo II. 19. V. 23. VII. 2c. X. 40. 41. 87. XIII. 15. XIV 20.
ἐν τοῖς περὶ φυσικῶν XV. 1.
E Paxamo II. 4. 42. IV 9. V. 30. VII. 10 23. IX. 17. X. 15. 55. 63. 85. XII. 7. 32. 40. XIII 4. 7. 10. XIV. 23. XV. 6 10. XVII. 13. 14. XVIII. 20. Paxamus citatur, X. 13. XX. 6
Ex Pelagonio XVI 2. 17. 18.
Ex Pherocle XVI. 9. 11.
Philostratus ἐν τῷ ἱστορικῷ. I. 16.
Ἐκ φωτιανοῦ II. 41. nisi Σωπατροῦ potius legendum.
Plato XVI. 2. ἐν τοῖς πλατωνικοῖς XV. 1.
Plutarchus XIII. 9. in duodecimo συμποσιακῶν XV. 1.
Proverbium ἐν κοῖλῃ δὲ κοίλης σχολὴ κεκρυμμένα ἄγρωστις XV. 1.
Ex Pythagora VIII. 21.

Pythagoras fabis abstinere jussit διὰ τὸ ἐντῶ ἀιδη ἐυελικτους πινδιμα γραμματα. II. 34. adde Festum. πρῶτος ἐφαπτεσθαι κυάμων ἀμυσιαρχος, διατην δι' ὀνείρων μαντειαν.
Pythagorzi ὀρίθακα ἐυνεχῆ καλέσαι. XII. 13.
Ex Sotione. II. 18. 28. V. 16. 19. 20. 29. 39-41. VI. 7. VII. 15. 25. 35. VIII. 16-18. IX. 9. 27. X. 11. 88. XI. 28. XII. 15. 23. XIII. 6. XVII. 7. 8. 11.
Sotion citatur. I. 15. V. 9. 10. VII. 6.
E Tarantino. II. 11. 26. IV. 4-6. VII. 16. IX. 21-24. X. 25. XI. 23. XII. 41. XX. 617.
Tarantinus citatur V. 11. XIII. 8. 9. ἐν τῶ περὶ σιπβόλων XIII. 4.
E Theomnesto XVI. 12-16. XIX. 3.
Theophrastus III. 3. 4. XV. 1.
Ex Varrone II. 22. 48. III. V. 42. VI. 9. VII. 21. IX. 13. X. 82. XII. 30. XIV. 10. XVII. 10. XIX. 1. citatur I. 1. V. 17. XV. 2.
Ex Vindanionio II. 15. V. 35. VII. 36. X. 44, 45. XII. 5.
Virgilius II. 17.
E Xenophonte XIX. 5.
Ex Zoroastre I. 12. 14. II. 14. V. 47. VII. 5. 6. 11. X. 84. XIII. 16. XV. 1.
Zoroaster citatur. XI. 17. XIII. 9.

BENEDICTUS SIT MISERICORS QVI NOS JUVIT

DE LEXICIS GRÆCIS EXERCITATIO.

1. §.

POst Joh. Henricum Hoeclerum, cujus exigua de Lexicis Græcis dissertatio & sertissim in 4to & inter ejus Exercitationes Academicas in lucem publicam adspexit, pauca hæc de Lexicographis Græcis priscis præcipue, eorum institutis, fatis Lexicorum editionibus, interpretibus &c. in chartam conjicere voluimus, recentioribus etiam aliquibus saltem, non prætermissis.

2. §. In-

2. §. Invidiosum sit deperdita Lexica Græca prolixe commemorare, quorum memoriam, quam solam omnia bella devorantes antiqvitatis tenebræ nobis reliquerunt, studiosus lector petat ex Athenæo, Photii Bibliotheca cod. CXLV. sqq. Hesychii proœmio, Suidæ inscriptione, Wowenii Polymathiæ capite IX. Mauli dissertatione Harpocrationi subjecta, Gesnero, & Vossio, de art. Grammatica lib. 1. capite V. De solis itaque Lexicis Græcis, quæ adhuc supersunt, hôc loco breviter agemus.

3. § ZONARÆ Lexicon inter Stephani libros fuit, idque sibi à Casaubono genero Stephani mitti rogat Scaliger in Epistolis. Meminit etiam illius Antonius Possevinus in Apparatu, verum cum editum non sit, quid de eo dicamus, amplius non habemus. PHOTII quoque Lexicon tractavit Scaliger, itidem ἀνεκδοτον. In Epistolis p. 503. optimum librum appellat, quemque edi è re literaria sit, quanquam omnia quæ in illo sunt, hodie in aliis, unde ipse hausit, reperiantur. In instructissima Isaaci Vossii Bibliothecâ id vidisse se testatur Colomesius de Photii scriptis p. 35. quicodicem crassum satis ac luce dignissimum esse affirmat, atque hodie esse apud virum Clarissimum Marquardum Gudium, Idem procul dubio est auctor Etymologus, quem Photium Patriarcham existimari, & apud eruditissimum Gudium inspectum sibi fuisse scribit Spanhemius de usu & præstantiâ veterum numism. p. 358. Alius Oxoniensis Msti meminit Morhofius p. 177. Polyhistoris, cujus, inquit, *editionem moliuntur illic viri docti. Magnopere commodo foret hoc Glossarium literatoribus & Historicis, multa enim ex auctoribus deperditis depromsit, quorum lacinia etiam veneratione esse debent.*

4. §. Longe pluribus ineditis Lexicis Græcis ad Glossarium suum perficiendum usus est Carolus du

Freſne, quæ ex Regis Galliæ & Colbertinâ Bibliothecâ accepit. Ex Regia habuit Lexicon EUDEMI Rhetoris, primum inter eos, ex quo Suidæ Lexicon conſercinatum eſt. MOERIDIS Atticiſtæ λέξεις Ἀττικὰς καὶ ἑλληνικὰς κατὰ στοιχεῖον quarum meminit Photius cod. 157. Mich. PSELLI περὶ καινῶν ὀνομάτων ἐν νοσήμασι. NICOMEDIS Jatro Sophiſtæ LEXICON, ORIONIS Thebani Etymologicum, quod in Etymologico Magno non ſemel allegatur, ut alia anonyma taceamus, in quibus fuit unum, cujus inſcriptio: σύναγωγὴ λέξεων. Colbertina Bibliotheca ipſi ſuggeſſit HERODIANI Πρωτερισμὸς καὶ συναγωγὴ φαύλων PHILEMONIS Lexicon τεχνολογικὸν &c. CYRILLI Alexandrini Lexicon, quo uſus eſt ex Bibl. Regia. dicitur etiam Ms. extare in Bibl. Gottorpienſi, habuit & Meurſius. Neſcio num idem ſit cum Gloſſario Græco latino Cyrilli, quod cum Phrloxeni aliorumque Gloſſariis editum eſt, infra à nobis recenſendis. Meurſius inter inedita, quibus ad ſuum Gloſſarium colligendum uſus eſt, memorat THEODORI PRODROMI Lexicon, item Etymologicum SUIDÆ quod diverſum fuiſſe oportet ab edito Suidæ Lexico.

5. §. Infinitis præterea Gloſſis εἰς δίκην, Meurſio præcipue uſus eſt Carolus du Freſne, quales paſſim aliique docti in ſcriptis ſuis advocant. Verum cum ea neque oculis uſurpaverimus, neque ab aliorum omnino notuerint, dicere de iis ſimiliter nihil quicquam poſſumus. Hoc tantum obſervamus, non raro ſcriptores quo ſermonis ſui colorem aliquem inducant, ad Gloſſaria inedita, ſed quæ nunquam in rerum natura exiſtiterunt, provocare, quod de Criticaſtris præcipue quibusdam veriſſimum eſſe quovis pignore decertaverim.

6. §. Ad edita igitur Lexica, quæ in omnium manibus verſantur, nunc accedimus. In iis primus facile locus debetur JULIO POLLUCI, cujus Onomaſticon Com-

mo-

modo Imperatori inscriptum græce primùm prodiit Veneriis A. 1498. tum 1502. apud Aldum in fol. Porro apud Bernhardum Juntam Florentiæ 1520. Basileæ 1536. &c. Latine vertit Rudolphus Gvaltherius, sed qui judice Scaligero p. 528. Epist. magis sese illo facto traduxit, qvàm commendavit, unde futilis interpres dicitur Mussaco ad Harpocrationem. Nobis laude potius dignus videtur, rei difficultatem latinæque linguæ inopiam cogitantibus. Neque Scaliger tam interpretem culpavit, quam institutum reprehendit, ineptum existimans Lexica in aliam linguam convertere. Wolffgangus autem Seberus novam Pollucis editionem suscipiens non modo Græcum textum diligenter emaculavit, sed & passim emendavit latinam versionem, laboriosissimasque notas atque indicem verborum attexuit, & elenchum auctorum a Polluce allegatorum subjecit. Prodiit illa Wechelianis typis A. 1608. 4to. Quæ de vide Colomesii bibliothecam selectam p. 103. non mirum autem, si unus vel doctissimi licet summam diligentiam aliqua effugerunt, quemadmodum in auctorum quoque elencho παροράματα quædam observare licet, quale est illud, quod inter Pherecratis fabulas ὁραμα οὐρανιον refert, quasi ullus ille fabulæ fuerit. Perspicuum enim est [illegible] Pherecratis allegari, de quibus Casaubonus p. 152. ad Athenæum. Verba Pollucis hæc sunt libri IX. capite 6. οἰκεμα ἢ πυκνωσις τῆς κοιλιας ἐπὶ τῶν ζώων ἐπὶ σπλάγχνων Φερεκράτης ὠίδιμασι ἐν τῷ αὐτοῦ δράματι. Quod ad Pollucem attinet, quem cognomine Chronici scriptorem antiquiorem esse constat, is ipse est, cujus obitum luget Herodes Sophista apud Lucianum in Demonacte. De eo Philostratus libro II. Sophistarum [illegible] inquit, τὸν Ναυκρατίτην σοφὸν ἄνδρα [illegible] ἐν ἀκροάσεσι δόξῃ καὶ [illegible]. Quod eundem Philostratum Athenodorus Pollucis tempore Athenis docens

ἐπὶ ποσὸν περὶ αὐτὸ τῶν διαλέξεων εἰς μικρὰ διὸ λέγων τὰ τοιαῦτα &c. qva duo sinistra de Polluce judicia latine si quis legere copiat, adeat Cœlium Rhodiginum lib. XIX. Antiquit. Lect. cap. 5. & Balthasarem non fecium lib. XV. cap. 5. Historiæ Ludicræ. Meminit quoque ejus Suidas, Photius, Eudocimon, Eustathius, Tzetza, ut Variorum aliosque judicem prætermittamus. Ejus Onomasticon in decem libros distinctum non literarum sed naturæ ordinem servat, eique longe præstantissimum, incredibilem græcæ linguæ copiam & elegantiam præ se ferens. *Est sane* inquit Casaubonus p. 344. Epist. *si quid judico, Pollux scriptor eruditissimus, utilissimus, & eo seculo, quod tot claris ingeniis floruit, dignissimus.* Historiolas quoque interdum & fabulas immiscet, qualis libro statim primo est de purpuræ inventione, quæ de videndus etiam Achilles Tatius lib. 2. Eroticon. Palephatus in fragmento, quod est apud Chronici Alexandrini auctorem. Nonnus p. 1034. Dionysiacon. Cassiodorus lib. 1. Variarum. Eutychius scriptor Arabs ap. Borre manss. cap. 4. Vesper. Gortchenssis. Polidianus cap. 12. Miscell. qui latissime hanc fabulam fabricat. Salmuthus ad Panciroll. deperdita, schedius de DIS Germanis Syntagm. II. cap. 8. Blasius de Vigenere in Philostrati imagines p. 241. Antonius Thylesius libello de coloribus. Bonifacius Histor. Ludicræ lib. 1. cap. 61.

7. §. Proximo post Pollucem loco nominandus HARPOCRATION, de cujus Lexicon in decem Rhetoras sufficerit forte allegare Acta eruditorum A. 81. p. 255. A. 83. p. 465. & Colomesium in Bibliotheca select. p. CXI. seqq. Rhetores illi quorum vitæ a Plutarcho & Photio scriptæ extant sunt Æschines, Andocides, Antiphon, Aristides, Demosthenes, Dinarchus, Isæus, Isocrates, Lycurgus & Lysias. Inter hos Julianus quinque & Diodorus, & Philostrati Lexicon scripserant teste Photio codice 150. ut alios taceamus.

Hic

Ille Harpocration, uti Vossius p. 37. de Philologis putat, *videtur idem esse cum eo, quem Veri Imperatoris præceptorem fuisse Capitolinus scribit, vel is fuerit Ælius Harpocratio Sophista, à quo & ipse Suidas sit actum esse de vocibus, quæ Rhetoribus ignotæ. Multa iisdem verbis tradidit, quibus Athenæus, ut vel hic Harpocrationem vel is Athenæum exscripserit. Nempe æquales fuere, utcunque fortassis alter alteri superviverit. Sane & Athenæus claruit temporibus Antonini Philos. & Veri Imperatorum, a posteaque etiam vixisse arguit, quod libro XII. quædam narret de Commodo Imperatore, idque ea libertate, ut ad Pertinacis etiam ac Severi tempora pervenisse videatur.* Imo Gordiani tempora attigisse Athæneum contendit Tranquillus Faber lib. 1. Epist 61. Fuere cum Harpocratione Lexici auctore commune aliquid habet Harpocras Rhetor, ad quem tot scriptæ extant Isidori Pelusiotæ Epistolæ, ut sit ὁ πρὸς Ἁρποκρατίωνα pro Harpocration, qualia plurima recensent Casaubonus p. 503. ad Athenæum Vossius lib. IV. Institutt. Orator. cap. 1. thesmate 5. Reinelius ad Rupertum p. 461. Hofmannus Tom. 1. Lex. Universal p. 49. Gisbertus Cuperus in Harpocrate p. 2. sq. Non tamen eosdem esse putem. Sunt quoque alii hujus nominis, ut Harpocratio Platonicus, cujus præter alios meminit Æneas Gazæus in Theophrasto p. 16. Sed hi nihil ad nostrum Lexicographum, quem Valerium Harpocrationem Alexandrinum vulgo vocant. Et de aliis Harpocrationibus vidit quoque eruditissimus Maussacus, qui Lexicon Harpocratianum egregiis notis illustravit, uti post eum Henricus Valesius, qui ipsum quoque Maussacum non raro castigat. Nec male de Harpocratione meritus est Nicolaus Blancardus, qui elegantem illam Harpocrationis editionem procuravit. Harpocrationis non pauca repetuntur à Suida, Etymologo, Varino

8. §. Jam

8. §. Jam de HESYCHIO Alexandrino par est ut videamus. Notus ille auctor Lexici Græci, quod antiquæ eruditionis penu merito pronunciat Meursius libro 1. Miscellan. Laconicorum capite. 13. Tantum vero abest, ut paganus fuerit iste Hesychius, ut potius eum & Sulcam Monachos fuisse probabile videatur Desiderio Erasmo Chiliadis 3. centur. 6. adag. 58. Mihi semper idem visus est cum Hesychio Alexandrino, cujus editio versionis Veteris Instrumenti B. Hieronymo memoratur, idque professus sum in dissertatione de numero septuagenario §. XVI. Meminit etiam Aquilæ Hesychius, quem non alium esse ab illo V. T. interprete, cujus aliquot adhuc fragmenta in Bibliis polyglottis supersunt, nullum est dubium, addit enim aliquo in loco, postquam Aquilam nominasset, οι λοιποι εβραικοι φωνοι μεταδεδωκασι ὁ λοιπος. Esaiam quoque Esaiam, Ezechielem, Jobum, Jonam, Lucam, Marcum, Matthæum, Mosen, Paulum, ut tot voces ex sacro codice depromtas, quas passim explicat, silentio involvamus. Allegat αγιον κωμωδειν εν ερμηνια ὑπνου & ἁμαρτωλοι & τη μητρι ἀπεθανον. Reperias quinquapud eum etymologias nominum Abraham, Amos, Daniel. Ambrosium Mediolanensem in animo habuisse videtur scribens Αμβροσιος ομως ἁγιος. Iacobi etiam meminit, quem pius Christi. Spiritus Sancti mentio in his verbis: ἀπφω ὁ πατηρ δωτηρ ἁγιος ἐστιν ὁ πατηρ, ἐνεργεια δε ἁγιον ἐστιν ἐνεργημα. Nisi potius transponendum atque ita legendum: ἀπφυς ὁ πατηρ, quod etiam est in Scholiasta Theocriti Idyllii XVII. ἀπφω πατηρ δωτηρ ἁγιος, ἡ τριακοντερις δωτη ἐνεργεια, ubi respexit ad IV. Regum. 3. vers. 14. Ex quibus satis, opinor, intelligitur quam procul a Gentilismo abfuerit noster Hesychius, quod auctor præfationis ad novam Lexici Hesychiani editionem pluribus confirmavit. Non magis felicitez Suidas Hesychium Mile-

sium

sium ethnic's scriptoribus annumerat, quod ex nomine *Johannis*, quo filium ejus gavisum esse Photius auctor est cod. 49. facile refutatur. Ineptior est causa, quam pronunciato suo Suidas subjungit, *ἐπ' ἐκκλησιαστικῶν ἀδενὸς μνημονέυει.* Cum ipsius Christi mentionem faciat Hesychius Illustris, ubi de Sibyllâ agit, uti pridem docti animadverterunt. Sed hæc aliorsum pertinent, nam de Hesychio non Milesio sed Alexandrino agere volebamus. Tantum miror, quod non modo in antiquis Hesychiani Lexici editionibus, Venetâ, Hagonoënsi, & Basileensi, sed in recentissima quoque Schreveliana, Suidæ verba de Hesychio Milesio præfixa esse video. Sed & Hankius p. 145. libri de Scriptoribus Byzantinis elogium doctissimi Grammaticorum, quod Hesychio Alexandrino tribuerat Richardus Montacutius, Milesio per errorem vendicat. Auctorum, qui in Hesychii Lexico allegantur, elenchum accuratissimum suis in Apulei Metamorphoseon libros notis subjecit Johan. Pricæus, qui postea retentus est in elegantissimâ Hesychii editione, quam cum variis eruditissimorum hominum notis & colligationibus adornavit Cornelius Schrevelius, post ejus obitum publico datam Lugduni Batavor. 1668. 4. Ejusmodi auctorum indicem in Hesychii Lexicon antequam Pricæi elenchus sibi innotuisset, confecisse se Reinesius testatur, quale quid mihi quoque accidisse memini non in hôc duntaxat, sed pluribus aliis auctoribus. Sviceri etiam elegantem Hesychiani Lexici editionem molitum esse ex Reinesii ad Vorstium Epistolis cognoscitur, uti Dan. Heinsium ex Casauboni. Sed horum omnium labores in Schrevelianam editionem confluxisse apparet, siquidem inter eos, quorum notæ adjectæ sunt, Heinsii quoque & Sviceri nomina reperiuntur. In præfatione dicit Hesychius usum se fuisse Apionis, Apollonii, Aristarchi, Didymi, Diogeniani, Heliodori & Theonis laboribus, omniaque accuratissime perscripsisse juxta Grammaticum Herodianum. Pro *Heliodori* Cl. Grævius *Herodori* reponere jubet nullo vel exiguo fare ductus argumento. Nihil enim impedit, quo minus Heliodorum Sophistam intelligamus, qui Adriani Imperatoris ab Epistolis fuit, cujus mentio apud Philostratum lib. 2. de vitis Sophistar. Dionem lib. LXIX. epitomatorem Xiphilinum p. 243. ejusq;

Spartianum in Adriano p. 75. Sed qvod ex aliis profecisse se Hesychius fateatur, hinc Reinesius *eruditionem*, inquit, *quam ei passim tribuunt, potius iis scriptoribus quos excerpsit, (est enim συναγωγεὺς) tribuerem, cum enim nihil pene ejus sit, qvomodo eruditionis auctor fuisse colligam?* Nihilominus ipsum qvoqve multa addidisse extra dubium esse videtur. Et ipse Hesychius alibi inquit, ἐδεμίαν παρέλιπον ἐμοὶ μὴν οὐ αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ πλείους ἐγὼ εὗρον καὶ τέθεικα. Dicit etiam Hesychius se in Lexico suo τὰς παροιμίας συνδεδωκέναι τὰς ὑποθέσεις. Qvod cum in libro ipso prout hodie habemus rarissime præstitum videatur, conqvesti de hoc sunt viri docti, Erasmus in adagiis & Tanaqvillus Faber ad Anacreontem. Qvorum hic suspicatur multos olim Hesychii purpureos suos pannos ausos fuisse assuere, & optima quæqve corrupisse, aliqvando etiam detraxisse. Idem Faber in illo pretiosissimo Hellenismi thesauro carbones ex Græco vulgari qvod ἀνθρακικὰ vocant, reperiri observat. *Quædam passim inserta esse ab indoctis, sed viris doctis norunt*, ait Barthius l. 42. c. 26. Adversar. Jac. Palmerius Exercitationibus in optimos auctores Græcos p. 526. *In tota literaturâ Græcanica nullus auctor magis corruptus est, & tamen plenus erroribus, qvàm Hesychius, & qvamvis Athenæi editiones in multis locis mendosè deprehendantur, non vereor dicere, Hesychium in unâ paginâ plures errores habere, qvam Athenæum in qvatuor, ideo ex eo non semper securum est antiqviores auctores ex eo emendare.* Non esse auctorem multa fide dignum ait Cæsar Scaliger p. 451. Exercitation. ad Cardanum, & p. 455. plurimis in locis futilem auctorem ac plane Grammaticum appellat, qvam Crisin severam justam tamen arbitratur Reinesius Ep. It. 222. ad Vorstium. Sed hæc in iis forte tolerari possit qvæ ad Physica attinent, qvale est, super qvo Hesychium locis adductis Scaliger castigat. Nam alias in antiqvitatibus præsertim ac poëtis illustrandis plurimum ei tribuendum esse cum ipse Scaliger, Pater & filius, tum omnes eruditi uno ore fatentur. Heinsius in Aristarcho Sacræ ac profanæ eruditionis Grammaticum nominat, alibi eruditionis veteris bysson. Qualia passim legas in Casauboni, Salmasii, Vossii aliorumque doctorum scriptis. Doctissimus Grammaticorum omnium dicitur Barthio l. XI. c. 32. Adversar. Theodoro Cy-

cero

tero l. 1. c 18. Var. Lect. Fullero p. 95. Miscellan. 5. & aliis. Heinsius p. 9. Aristarchi S. in Lexico Hesychiano non Græciæ totius modo, sed ex parte & Orientis eruditionem conclusam jacere dicit. Phœnicia in illo occurrentia singulari capite sui Chanaan explicavit vir summus Samuel Bochartus Multa Germanis vernacula vocabula in Hesychio se notasse ait Reinesius pag. 636. Var. Lectionum.

9. §. Post Hesychium de STEPHANO Byzantino paucis agemus. Dictum de eo aliquid est in Decade recentium Scriptorum, sub nomine Abrahami Berkelii. Bene de Stephano meritus Xystus Betulejus, melius Conradus Gesnerus, qvi in suo propriorum nominum Onomastico latine vertit & loca innumera castigavit, ut ipse refert in Epistola de libris à se editis, & ex eo Vossius p. 410. de Mathemat. disciplin. De editione Johannis Pinedo, qvi etiam latine vertit & notis illustravit, videndus Colomesius in Bibl. Select. p. 46. De Hollstenii notis Novell. Reipubl. literariæ & acta Eruditorum A. 84. De novissima Berkelii editione Acta Erud. & Bibliothec. Universal. A. 89. Stephanus circa Anastasii tempora vel paulo ante vixit. Ejus inter Veteres meminere Suidas, Tzeza, Constantinus Porphyrogenetus & Eustathius. Vide & Vossium lib. 2. de Historicis Græcis cap. 22. qui lib. 3. p. 416. ejusdem Stephani περὶ κυπρε librum allegari putat ab Etymologici Magni auctore voce σφήκια. Suidas Stephani Ethnica ab Hermolao contracta esse testatur, qvi locus facit, ut quæ hodie habemus, non Stephani ipsius opus, sed Hermolai Epitomen habeant eruditi. Caspar Barthius in Bibliotheca de Stephani Epitomatore.

Cui iste fractus est liber, male incestus
In orbis ambitum coactor existit.

Sed pauca tamen Epitomatoris vestigia in illis deprehendere possum, & liber est satis prolixus, ut inconditum antea opus fuisse oporteat, cujus tanta nunc sit Epitome. Etiam Eustathius τῆς τῶν ἐθνικῶν ἐπιτομῆς mentionem facit, unde tamen nondum sequitur quod vult Casaubonus ad Laërtium, epitomen nos tantum Stephani non ipsum Stephanum. Nam alias Eustathium quoque habere nos negari deberet, quia A-

driani Junii copiæ cornu, quod nihil aliud est qvam epitome commentariorum Eustathii, allegari videmus. Nihil tamen statuo. Apud Vossium de scientiis Mathematicis pag. 359. perperam legitur, quod Stephanus Harmolaum Byzantium compendio constrinxerit, qvod ex aliis Vossii locis proclive est corrigere. In illo autem Lexico, sive Stephanus ipse sit, sive Stephani Epitome, præter Geographiam veterem cum alia philologica tum patronymica diligenter adnotata habentur, qui potissimus auctoris scopus fuit, unde & ἐθνικὰ inscripsit. Passim quoque fabulas & Historias inspergit, necnon occasione urbium ac regionum, viros doctos, quibus urbes illæ aut regiones claruerunt, recenset, unde magni illum auctorem facere debemus.

10. §. Qvia alphabetico ordine dispositus est, merito hic recensetur EUSEBII Cæsarienſis de locis Hebraicis liber, *modo is auctor est libri*, ut ait Petavius ad Epiphanii hæresin IX. Latina Hieronymi versio legitur tertio Operibus Tomo III. edit. Ann. 1553. & 1572. qvanquam non tantum interpretis officio functus est Hieronymus, sed & immutavit non pauca, atque de suo addidit. De eo Simplicius ap. Richterum in Melanchthonianis pag. 367. *Hieronymus nomenclaturas edidit locorum Ebraicorum, quas non distincte ut Cosmographus, sed ut viator ipse per totam Palæstinam vagatus, intervalla oppidorum suis passibus metitus est. Narrat igitur factus, & discernit numero passuum à locis insignibus, & veteres earum appellationes.* Græcè Eusebii librum primus Jacobus Bonfrerius vulgavit, & cum Hieronymi versione, aliquoquam Græco Eusebii textui respondentem ipse composuit notisque suis, quas non contemnendas Cave appellat, commentario in Josuam subjecit. Videatur & Hankius de Byzantinar. rerum scriptoribus capite 1. § 257. sq. Petrum Rerum Geographiam Sacram ad Eusebii librum περὶ τόπων τῆς θείας γραφῆς molitum fuisse dictas ex Vossii de scientiis Mathematicis pag 261.

11 §. Si deperdita Lexica referre animus esset, Diogenianum merito hic nominaremus, qvem πίνακα κατὰ στοιχεῖον πόλεων scripsisse Svidas testatur. Verum jam supra duximus

ea

ea curæ nunc nobis non esse, qvamobrem de SVIDA ipso potius dispiciemus. De ejus ætate vide Vossium de Historicis Græcis lib. 2. cap. 26. & qvo hausit Hofmannus, qvæ habet T. 1. Lexici Universalis pârte 2. p 396. conter & qvæ nos diximus in plagiariis no. V. In Mathematicis p. 359. Vossius Svidam refert ad A. 1038. Doctissimus Cave, cum in Chartophylace ex Vossii de Historicis Græcis sententiâ ad A 1081. retulisset, *forsan*, inqvit, *antiqvor ipse Svidas, multa qvæ seqviora tempora sapiunt, à recentiore manu additis*, qvod sane verisimillimum esse videtur. Neqve tamen per omnia probanda Gyraldi verba dialogo III. de Historia Poëtarum p. 114. edit Basil. *Variæ sunt de Svida sententiæ. Nam sunt, qvi nullum unqvam fuisse Svidam autument, idqve etiam scripto testatus est Politianus. Alii, si Diis placet, barbaris commentariis Papiæ & Catholico* qvi mitius, Isidoro Hispalensi conferunt. Qvibus illud vere responderi potest, Svidam antiqvum fuisse scriptorem, cujus imprimis à Strabone fit mentio, & ab ils, qvi in Apollonium Rhodium commentaria scripsere, & à Stephano, & aliis. Is igitur Svidas inter alia (nam & Historiam scripsit) commentaria, ut par est credere, non admodum magna condidit, qvæ ab aliis postea multis locupletata & aucta ad hanc qvam videmus libri magnitudinem excrevere, primqve Svidæ nomen invenerunt, id qvod & evenisse Calpino nostris diebus videmus, ut jam ejus ferme sit minor libri pars. Idem & accidit in græco Lexico. Atqve hæc qvidem de Svidâ mihi conjectura potior esse videtur, qvàm eorum, qvi à Svidâ collecta & veluti in Rhapsodias conjuta fuisse tradiderunt, cum ut diximus, Suidas inter antiqvos sit repositus, & longe eos ætate antecessit, ex qvibus commentaria ipsa ut vidimus, concinnata legimus. Suidam qvoque quam Suidam potius scribendum arbitramur, cum illud Græci omnibus illud nobis quibusdam & semidoctis sit tantum persuasum. Et simul etiam adjiciendum puto, quam grammatistæ quidam faciunt deorum hujus nominis distinctionem, ut scilicet ille antiqvior tantum sit Historicus, hic recentior Grammaticus. Hæc Gyraldi verba respexisse videtur Vossius de philologia p. 37. *Imo si idem est Suidas, cujus meminit Stephanus, sive Hermolaus Byzantinus, qvi Justiniani temporibus in epitomen redegit, ante annos fueris millenos. Hoc si placet, multa addiderint juniores,*

* Johannis Januensis quod prodiit Lugduni A. 1491. fol.

...nolo Calepinus toties recoctus varia à variis perissè incre-
scenta. Verum si idem est Svidas, cujus meminit Stephanus, idem quoque est, cujus meminit Strabo, ut necesse sit Lexici auctorem ante annos mille & septingentos vixisse, quod si dicere velimus, nihil fere libro illi relinqveretur. Videlicet duo minimum fuêre Svidæ, uti recte ait idem Vossius de Historicis Gr. *unus Historicus*, qvem citare videtur Hesychius in πάτραι pro qvo Svidas male editur. Ejus Θετταλικῶν πρώτῳ allegat Scholiastes Apollonii, ex qvo opere qvædam refert Strabo libro VII. Idem Scholiastes de Eubœa quoqve scripsisse testatur, uti Svidam ἐν τοῖς γενεαλογίαις advocat Stephanus voce ἄμπρος *Alter lexici auctor* patria Byzantinus, uti qvibusdam probari video. Verba qvibus Politianus dubitasse videtur, an unqvam Svidæ nomine Lexicographus fuerit, hæc sunt libri XI. Epistolâ 20. *Svidas ipse, qvi modo hic unqvam Svidas non omnino malus auctor.* Nisi potius aliter explicandus ille locus, v. g si alicujus modo auctoritatis est &c. nam alibi Svidam Politianus agnoscit. De Svidæ nomine agit Cl. Menagius cap. 77 Anti Bailleti. Qvod ad ipsum Lexicon attinet, in eo præter Grammaticas vocum explicationes multa historica, doctos inprimis viros eorumqve labores spectantia occurrunt, unde non infimum inter βιογράφους locum Svidæ tribuit Vossius cap. 14. libri de Philologia §. 9. & Jonsius lib. III. de scriptoribus Historiæ Philosophicæ, qvi & plura de eo alibi dicturum se promisit. Hieronymus Wollius Historica illa selegit, & latinè reddita seorsim edidit, nisi qvod nonnulla interdum addidisse deprehensus est, qvæ in Svida non leguntur. Sæpius autem antea Svidas Græce editus fuerat, ut Mediolani, Basileæ &c. Dresdæ in Serenissimi Electoris Bibliotheca epitome Svidæ reperitur, in qvâ Grammaticæ tantum glossarum expositiones omnibus auctorum allegationibus omissis à Thoma qvodam Cretensi Hieromonacho contractæ sunt, de qva videndus Reinesius Epistola XCVI. ad Rupertum sub finem. Fridericus Syburgius præfat. Ad Etymologicum Magnum dicit, se Svidæ etymologicum Michaëlis Apostolii manu in Creta ἀπὸ παλαιοτύπου τινὸς διφθέρας ut ipse testatur exscriptum ex Bibliotheca Palatina illuc passe. Hoc forte MS. cum aliis Æmilius Portus Cretensis

sis ad suam Svidæ editionem adhibuit, qvæ cum ejus versione & notis edita est Genevæ A. 1619. fol. Tomis II. Elegantissima qvidem illa est, & facile optima inter hactenus vulgatas, nihilominus pluribus adhuc mendis abundat, uti supra ex Lambecio monuimus, cum elenchum scriptorum Svidæ memoratorum cum notis Criticis edere polliceremur. Sed qvædam errata non a librariorum manu, sed ab ipsius Lexicographi mente sunt. Casaubonus lib I cap. 6. ad Athenæum: *Quam sæpe isti cucullato Grammatico depravatico dires errandi causam præbuerint, sunt nos, qvi in ejus libris multa hoc genus culpas observavimus.* Harum deinde aliqvot recenset. Svidam vitia codicum suorum solere transscribere, putat & Holstenius ad Stephanum in Μελανεῖς. Illud denique in Svidæ Lexico observandum, qvod circa diphthongos & omega communem alphabeti ordinem deserat, unde de hoc lectores in qvibusdam editionibus monentur, ne frusta sint. Sub finem Lexici, militarium qvarundam vocum interpretationes leguntur, qvæ ab Aldo qvoqve & Stephano editæ sunt, subjecto brevi Orbicii fragmento περὶ τακτικῶν τάξεων, qvod cum Æliano de instruendis aciebus etiam editum extat. Is est Urbicius, de qvo Vossius in Mathematicis p. 293. De Auctoribus qvi in Svidæ memorantur, alibi DEO volente videbimus.

12 §. ETYMOLOGICI qvoqve MAGNI auctor inter Lexicographos Græcos minime prætereundus est, qvo de post B. Thomasium libri de plagio §. 663. pauca hæc in medium afferre possumus. Marco Masuro liber ille adscribitur notis ad Athenagoram de resurrectione p. 59. edit. Lipsiensis. Qvæ Andreæ qvoqve Schotti fuit suspicio, sed qvæ B. Thomasio recte suspecta visa est, qvod nullo alio fundamento, qvam qvod Masurus prætationem Etymologico præmisisset, niteretur. Non majorem fortasse fidem meret Biscioläe sententia, qvi Calliergis tribuendum Etymologicum putat libro I. Horarum subcisivarum. Nam verba in subscriptione, τόνων δὲ καὶ ἐξεδόθη παρὰ Ζαχαρίου Καλλιέργου ἐν Κρήτῃ, item illa in Masuri præfatione, qvibus Biscioläe in illam opinionem adductus videtur, de editionis cujusdam procuratione capienda sunt, qvam cum Nicolao Calliergo Zacharias suscepit, non qvod

au-

auctores sint Calliergi. Unde Fridericus qvoqve Sylburgius qvi ea verba & legit, & editioni suæ subjecit, nihilominus in præfatione fatetur auctorem nondum a se cognosci potuisse. Paulo certius est, qvod ex Politiani Miscellaneis peti indicium potest. Hoc capite LXXII. de philyrâ & lemniscatis coronis agens Nicas autem, inqvit, *in commentario, qvem per ordinem literarum disposuit, Græcè ille qvidem, sed in hunc fere modum philyram interpretatur: Philyra planta librum papyro similem habens, ex qvo etiam funes complicant.* Hæc verba ex Etymologico Magno desumta esse apparet, ita enim Græcè in eo leguntur: φιλύρα φυτὸν ἔχει φλοιὸν βυβλῳ παπύρῳ ὅμοιον, ἐξ ὧν τὰς στέφανος πλέκουσι. Qvanqvam ea non inoscitanter Politianus verterit. Inde docti collegisse videntur Etymologici Magni auctorem esse N I C A M, qvo nomine eum allegat Vossius pater de IV. artibus popularibus p. 22. filius Isaacus de Melam. Kœnig p. 5. Bibliothecæ &c. Modo ne Politianum scripturæ abbreviatio fefellit, potuit enim scriptum esse Νικας pro Νικανδρος, ut Nicolaus Calliergus intelligatur, & tum æqve incorrigibilis fuerit. Aliud autem argumentum habere qvam illum Politiani locum eos, qvi auctorem Etymologici magni Nicam vocant, non existimo. Neqve alibi temere Nicæ mentionem offenderis. Hæc sunt, qvæ de auctore habemus. Si de ætate qværas, Eustathio Homeri interprete longe antiqvior esse non potest, qvem, qvia non citat, præcessisse arbitror, cum in utroqve gemina legas non pauca. Vixit autem, Eustathius sub Manuele Comneno, uti ex Niceta Choniate constat. Alias multos grammaticos in testimonium citat auctor Etymologus, quos non antiqvissimos esse scimus. Ab eo aliud qvoqve etymologicum allegatur in voce πρωΐ & alibi nomine nullo addito. Forte Orionis intelligitur. Edidit Etymologicum magnum post alios Fridericus Turrisanus, qvi de suo nonnulla inseruit, sed qvæ ab etymologici verbis asteriſco apposito semper distinguuntur. Tanti Friderico Sylburgio visi sunt, ut ea in sua editione reimcret, qvæ operosa est cum notis laboriosis, indice, & auctorum citatorum syllabo Heidelbergæ vulgata ap. Commelinum A. 1594. Liber meritò commendandus omnibus penitioris literaturæ Græcæ studiosis.

II. §. LXXI-

13. §. EROTIANI nulla, quantũ scio, apud veteres mentio occurrit. Fuerunt, qui Galenum in exegesi Glossarum Hippocratis voce κάμμαρος ejus testimonio usum esse putarent, at ibi non Erotiani sed Herophili nomen pleræqve omnes Galeni editiones præ se ferunt. Ejus τῶν παρ' Ἱπποκράτει λέξεων συναγωγὴν Henricus Stephanus publici juris fecit, commentario illustravit Bartholomæus Eustachius Venetiis A. 1566. 4. qvem laudat Barthius lib. 33 cap. 1. & lib. 56. cap. 4. Adversar. Splendidæ suæ Hippocratis & Galeni Operum editioni in XIII. Tomos digestæ inseruit Renatus Charderius Vindocinensis. Qvod Andromacho archiatro inscripta esset illa λέξεων συναγωγή, circa Neronis tempora floruisse Erotianum viri docti collegerunt, sed Marsilius Cagnatus lib. 2. Observationum variarum capite 28. veritum se esse ait, ne recentior aliquis temporum ignarus falso titulo & simulata dedicatione librum hunc ediderit ut opinione vetustatis auctoritatem ei compararet. Antiquum tamen & doctum librum esse existimo, & in qvo varia egregia continentur. Passim qvoque præter Hippocratem, cujus librorum γνησίων catalogum in proœmio nectit, alios auctores deperditos allegat, qvorum Indicem DEO juvante cum reliquis Medicis dabimus. Fuit aliquando cum nos qvoqve suspicaremur, nullum unqvam fuisse Erotianum, sed nomen illud depravatum esse ex nomine HERODIANI, qvod quam facile fieri potuerit, nemo non videt. Plurima autem scripsit Herodianus juxta Svidam, adeo ut ejus libros pelagus scriptorum appellet Priscianus. Hic artium minutissimus scisciator, uti eum libro 22. Ammianus vocat, Hippocratis qvoque Glossas explicare potuit, qvarum expositio propria erat Grammaticorum. Andromachus autem cui hæc λέξεων συναγωγὴ inscribitur, junior fuerit Andromacho Neronis Archiatro, de quo vide Harduinum ad Plin. & Bartholinum de Medicis Poëtis.

Fuit enim alius qvoque Andromachus sub Vespasiano, fuerit etiam sub Antoninis, sub quibus vixisse constat Herodianum Galeno utiqve minorem, cujus ἐξήγησις τῶν Ἱπποκράτους γλωσσῶν itidem præclara extat, quæ non tantum inter Galeni opera excudi, sed aliqvot etiam Hippocratis editionibus subjici solet, uti Græcæ Basileensi A. 1538. In præfatione Galenus alios nominat, qui eandem ante se operam susceperint, inter cæteros notans juniorem Dioscoridem, quem non puduit Nigrum, Pamphilum, Dioscoridem Anazarbeum & alios simpliciter exscribere. Huic juniori Dioscoridi ni fallor tribuenda est Historia Plantarum ordine alphabetico & Alphabetum Empiricum, quæ utraque cum versione & Scholiis edidit Janus Antonius Saracenus. Inter Lexica Medica qvibus Carolum du Fresne usum esse dicebamus, est qvoque unum ad Hippocratem, qvod plurimum à Galeniano differre Carolus testatur. In Pauli Æginetæ libro VII. capite 3. medicamentorum virtutes ordine alphabetico recensentur, qvod caput instar brevis Lexici Medici videri possit, qvare illius hôc loco meminisse voluimus. Spectant huc etiam Glossæ NICOLAI MYREPSI.

14. §. Laconicas Glossas singulari olim libro collegerat Aristophanes Grammaticus, uti Athenæus auctor est in tertio Dipnosophiston, qvæ cum deperditæ fuerint, quadantenus jacturam earum resarcire conatus est Johannes Meursius libro III. Miscellan. Laconicorum cap. 6. seqq. Longe plures de Atticis vocibus solliciti fuerunt, uti idiomatis nitor atque elegantia merebatur, qvorum memoriam conservavit in Lectionibus Atticis idem Meursius, vir ad Græciæ antiquitates illustrandas vindicandasqve natus Aliqvot etiam auctorum συλλογαὶ ἀττικῶν λέξεων supersunt, qvorum antiquissimus sine dubio est PHRYNICHUS Arabius Sophista Bithynus, cujus σοφιστικὴς παρασκευὴς Imperato-

ratori Commodo dicatas recenſet Photius cod. 158. Meminit earum Suidas qvoque, niſi qvod in librorum numero à Photio diſſidet. Duos ex hoc Phrynicho facit Hofmannus T. 1. Lexici Univerſalis parte 2. p. 163. Præter illas παρασκευὰς Suidas ait eum ſcripſiſſe ἀτθικῶν ὀνομάτων libros II. ex qvibus forte excerpta fuerit illa ἐκλογὴ cum notis Petri Nunneſii & Davidis Hœſchelii edita Auguſtæ Vindelicorum A. 1601. 4. Ut egregie fallantur qvi παρασκευῶν à Photio excerptarum epitomen eſſe volunt, qvod etiam Bœclerus animadvertit. Stephanus Byzantinus voce ἀθῆναι ex Phrynicho refert ὅτι ἀνάτθικόν φησιν εἶναι τὴν φωνὴν ἀθηναίας αἰτιᾶται τὸ ἀττικᾶς. καὶ θαυμάζει πῶς ὁ Φερεκράτης ἀτθικώτατος ὢν χρῆται. Quæ in Phrynichi ecloga hodie non reperio, habet tamen Moſchopulus. Cæterum audacter ſubinde nec ſine aculeo οἱ νότως ἀτθικίζοντες perſtringuntur à Phrynicho &, ſi vel poëtæ vel Stoici, vel νεώτεροι ψευδατθικοὶ inſolenti aliqvo verbo uſi fuerint, cum ἀρχαίοις potius, & πολιτικοῖς, (ita Athenienſes vocat) Phrynichus loqui jubet, etiam, ſi alia Dialectus vocem aliquam minus Atticam admittat, proverbium illud occinit, ὦ Φρυνίχου ἐπιστολή. Neqve maximis viris parcit, unde naſutus cenſor dicitur Barthio ad Claudianum notis. Qvamvis viciſſim reprehenſus fuerit à junioribus, uti à Thoma Magiſtro factum videmus, qui eum corrigit in ἀνίωγε & alibi. Dabimus hoc loco indicem auctorum qui à Phrynicho in ἐκλογῇ ἀτθικῶν ῥημάτων Corneliano βασιλικῷ ὑπηρέτῃ dedicatâ allegantur maximam partem quidem animo reprehendendi.

Alcæus κωμῳδοποιός. v. βασίλισσα.
Alexander Syrus Sophiſta. v. διδώ.
ejus Epiſtola v. ὑγία.
Alexis, v. οἰκίας δεσπότης.
Antiochus Sophiſta in libro qvi inſcribitur ἀγορά. v. μιγίσανις.
Antiphanes Comicus. v. ἐπίτροχος.
Ariſtophanes. v. ζορόπερον, ἥρως, νίμμα, χθιζόν.
in δαιταλεῦσι. v. ἡπήσαμεν.
ἱππεῦσι v. εὐαγγελίζομαι.
νεφέλαις δευτέραις. v. χρίως.

Aristoteles. v. πρώτως.
ἐν τοῖς ὁμήρου ἀπομνημονεύμασι v. βασίλισσα.
Cajus Arethusius Grammaticus v, καθώς
Chrysippus v. ἤθεις, πρώτως.
Cratinus v. ἀποπέραγ῀, ζωρότερον, μονόφθαλμ῀, πέπων, ὤρκωσι.
Demosthenes. v. ἀγήοχεν, ἔγκειται, ὁ πωροπώλης.
ἐν τῷ κατὰ Διονυσοδώρου. v. σύμπωμα.
Ejus non est Oratio contra Nexaram. v. βασίλισσα.
Dion Philosophus. v. πῦμα.
Epicharmus v. ὁ φάρυγξ.
Eupolis v. ζωρότερον.
ejus ni fallor κόλακες memorantur. v. ψῆφοι.
Euripides v. λάκαινα.
Hecatæus v. σκορπίζεται.
Herodotus v. ἀνέκαθεν, ἐνθήκη, θρίδακα.
Hesiodus v. βράδιον, ἡπίσασθε.
Homerus v. δεινή, θυρεόν.
Hyperides v. ἐγκάθετ῀, ἐμπυρισμός.
Lollianus Sophista v. αἰνῆς, ἐλεδίεσαν, εἰσιέτω.
Lysias v. ἀγήοχεν,
Menander v. αἰχμαλωτοθῦναι, κολλυβιωτής, λήθαργος, μεγίσανες, μετειάζειν, περιοκόπ῀.
ἐν τῇ Σαμίᾳ v. λίβανον.
Phavorinus v. αἰνῆς, ἀφιερῶσαι, βρώσομαι, ἐξιδιάζονται, ἐπιξελευόμεν῀, κορυφαιότατον, καθαρὸς, ὑστερίζειν.
———— ἰδεῶν λέγω v. σύμπωμα.
ἀκρῶτ῀ τῶν Ἑλλήνων εἶναι δόξας ἐν ὑπηγεδέματι ὑπφερομένῳ ὑπὸ τῆς δημώδους σωφροσύνης. v. πλόκιον.
Phylarchus v. καθώς.
Philoxenus v. ἐν τοῖς πέντε περὶ τῆς ἰλιάδ῀ συγγράμμασι. v. ἥκα.
Phrynichus κωμῳδοποιὸς ἐν τοῖς σατύροις, v. εὐαγγελίζομαι. Est & alter Phrynichus Tragicus. de utroq; vide Vossium in Poetis Græcis.
Plato v. ἀπελεύσομαι βεβδίτην, διεξαμύτην, εὐαγγελίζομαι.
Plutarchi βιβλίον δυσωπίας. v. δυσπειθῆς.
σύγκρισις ἀριστοφάνους καὶ Μενάνδρου v. σύγκρισις, ubi miratur quod vir φιλοσοφίας ἐπ' ἄκρον ἀφιγμέν῀ tali voce usus fuerit.
Poëta v. ἐρευγεσθε. Pole-

Polemon Jonicus Sophista v. αἱ νῆες.
Epigramma qvod imagini Demosthenis inscripsit. v. καθ' ἕναρ.
Ejus Historiæ v. κεφαλαιῶδες, ubi docetur, qvod Secundus Grammaticus Polemonis συγγράμματα correxerit.
Sappho v. νίτρον.
Secundus v. κεφαλαιῶδες.
Sophocles v. λίξαιον.
in Andromeda v. πρόσφατον.
Syllas v. αἱ νῆες.
Teleclides v. πρίσεως.
Theophrastus v. κεφαλοτομεῖν.
Theopompus v. κωμῳδοποιός κυνίδιον.
Thucydides v. ἀγαγόν. βράδιον, καθώς.
ἐν τῇ ὀγδόῃ v. καθ' ἐκεῖνο.
Xenophon. v. ἀκμήν, ἐσωή.

15 §. Cum Phrynicho Aldus THOMÆ qvoqve MAGISTRI & Manuelis MOSCHOPULI eclogas ἀττικῶν ὀνομάτων evulgavit Venet. 1524. fol. Extant etiam simul editi in 8. Thomam Magistrum eundem esse puto cum Thoma Cretensi Hieromonacho, cujus epitome Suidæ in Bibl. Sereniſſimi Elect. Dresdæ extat. Multos auctores allegat, sed qvi fere omnes supersunt, unde eorum indicem conficere esset otio abuti suo. Moschopulus rarius citat auctores, ejus syllogen dictionum Atticarum uti & libellum περὶ χειδῶν ex Bibliothecâ Regia auctiores habuit Carolus du Fresne. In libro περὶ χειδῶν multa nullius usus nec pauca falsa esse ait Vossius, uti judicium doctrinam & memoriam in eo desiderat Henricus Stephanus libro de bene instituendis Græcæ linguæ studiis. Itidem ab Aldo editus est AMMONIUS περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων, ubi vocabula cognatæ significationis serie alphabeti observatâ distinguuntur. De auctore vide Vossium in arte Grammatica & Jonsium lib. 3. de scriptoribus Historiæ Philosophicæ cap. 18. Etiam Aldus cum aliis opusculis & Glossario Græco latino & latino Græco qvod vulgo Asulani Lexicon vocatur, edidit συναγωγὴν τῶν περὶς διάφορον σημασίαν λέξεων κατὰ στοιχεῖον nomine nul-

lo adjecto. Illa συναγωγὴ sæpius postea recusa & quibuscunque fere lexicis subjuncta ab aliis Cyrillo, ab Henr. Stephano autem JOHANNI PHILOPONO Grammatico tributa fuit. A. 1615. Erasm. Schmidius plus qvintuplo auctũ cum *discursu de pronunciatione græca antiquâ* edidit Wittebergæ in 8. ita tamen ut additamenta sua ab iis, qvæ primi auctoris sunt, charactere aliqvo semper discernantur. Illas σημασίας non antiquissimas esse facile doctis persuaserunt Henninius atque Major, cum hoc ante utrumque pluribus aliis persuasum fuerit. Angelus Caninius p. 84. Hellenismi. *Veteres quidem Græci accentus pronunciabant, non scribebant, quod ex Aristotelis elenchis potest intelligi.* Locum Aristotelis habes ap. Henninium §. 45. ἑλληνισμὸς ὀρθωιδῶν, qui tamen fallitur cum suo Alexandro, qvod exemplum ab Aristotele prolatum ex Homero petitum esse negat. Legitur enim Iliad φ v. 297. Johannes Brodæus lib. 6. Miscellaneorum, cap. 12. ex Quintilani loco quem Henninius §. 49. repetit, liquido constare ait Græcos accentus dictionibus olim non apposuisse. B. Dorschæus in luculentâ dissertatione Theologiæ Zachariana præmissa. *Exprimit*, inquit, *originem hujus curæ prosodica apud Græcos divinæ Scripturæ illustratio, h. e. tonorum, accentuum, spirituum, punctorum, & hypostigmatum adnotatio, cum antiquitus sine ejusmodi subminiculis conscriptos fuisse Græcos codices Epiphanius Salaminæ Episcopus in libro de partibus divinæ scripturæ, & Ximenius in editione N. T. testantur.* De Ximenii N. T. vide Majorem de nummis Græce inscriptis p. 15. Erasmus dialogo de pronunciatione Gr. & L. lingvæ: *Audio priscos illos nullis intervallis diremisse dictiones, sed perpetuo contextu produxisse versus. Fateor, ut nec apices olim adhibebant Hebræi, ne Græci quidem, arbitror, sua puncta, nos tamen usqve adeo morosi sumus, ut si qvid bonæ rei repertum sit à recentioribus, gravemur accipere.* Auctor prætationis ad elegantissimam N. T. editionem Oxonii 1677. 8. *Porro accedit vetustissimos codices sine spiritibus accentibus, notis subscriptis*

inser-

interpunctionibus imo vocum à se invicem intercapedine & distinctione exaratos, ut fere quod de lege sua ferunt Ebræi, de Evangelio etiam obtinuerit, unam esse periodum, imo vocabulum unicum. Salmasius Epistola ad Sarravium: *Ante Aristophanem, qui primus προσῳδίαν excogitavit, & accentus invenit, nulla fuit literarum distinctio &c.* Codicem versionis septuagintaviralis & Alexandrinum & Vaticanum distinctionibus atque accentibus carere ex prolegomeno IX. Waltonici apparatus cognoscitur. In Helmstadiensi Bibliotheca aliquot Chrysostomi Homiliæ MSS. accentibus non oneratæ extant. Vide & Lambecium lib. 2. de Bibliotheca Vindobonensi capite VII. Justus Lipsius de pronunciatione latinæ lingvæ cap. 19. *Notulæ istæ accentuum in priscis libris raræ imo in magis priscis nullæ. Nec in latinis, solum sed & in græcis.* Ac de latinis in confesso est. Scaligerana prima p 16. *Accentus graves qui dictionibus latinis apponuntur, nostrâ memoriâ introducti sunt & in libros illati, qui cum nihil juvent auditorem, toto cælo latino ablegandi & fugandi sunt. Virgulæ & cola nostrâ etiam tempestate inventa à Manutio, cum antiquis prorsus incognita fuerint. Multi dicunt, ad quid istæ Latinitatis minutiæ requiruntur? Dicam: ad quid latine loqui affectas?* confer Robortellum & Scioppium de ratione corrigendi antiqvorum libros. Sed qvorsum ego ista hoc loco, ubi de Lexicis græcis agere volebam?

16. §. Nimirum de priscis pleraqve transegimus. Glossaria adhuc restant, uti Glossæ Basilicæ, Corona pretiosa, Glossæ Benedicti, Cyrilli, Philoxeni & aliorum anonymorum, quas edidit Henricus Stephanus, Bonaventura Vulcanius & Carolus Labbeus. De iis vide quæ editores disseruerunt, nobis non repetenda. Non negandum est multa in illis Glossis contineri è trivio petita, nihilominus propter singularia itidem non pauca, in quibus vel eruditissimi absque eorum lumine caligant in pretio habendæ sunt. Et notum est quantum ejusmodi Glossis tribuerint Scaliger, Salmasius, & viri qviqve doctissimi

mi

mi, ut à solis qvoqve eruditis eas contrectari fas duxerint, nefas versari à Grammatistarum manu. Vicissim non omnes Glossas pro auro habere debemus, ne carbones pro thesauro magnifaciamus. Nam inepti qvoque Glossatores existunt, uti Glossarium Maximi futile vocat nihilqve bonæ frugis in illo contineri ait Scaliger p. 464. Epist. Atqve hæc de veteribus sufficerint. Inter recentiores Lexicographos primum jure locum sibi vendicat VARINUS PHAVORINUS Episcopus Nucerinus è Camerino Italiæ oriundus, Julio Cardinali Medices æqvalis, cui Lexicon suum dedicavit. Prodiit Romæ A. 1523. quæ editio rarior est altera Basileensi, quam cum indice utilissimo Camerarius publico donavit A. 1538. fol. Totam Græciam in hunc librum Varinus conjicere voluisse videtur; Nam quicquid in Suida Etymologo Phrynicho Hesychio Harpocratione & aliis Lexicis, quicquid in Scholiastis veteribus ad verborum explicationem faciens continetur, id fere omne in Lexicon suum transtulit. Sæpe etiam emendatius in Varino qvam in ipsis undę hausit auctoribus legas, quanquam sæpius depravata quoqve transcripsit. Grammaticæ quoque vicem Lexicon illud præstare potest. Non invenustis Epigrammatis laborem ejus commendarunt Johannes Lascaris, Angelus Politianus & Joachimus Camerarius. Josephus Scaliger postqvam de Photii Lexico dixisset p. 503. Epist. *extat*, inquit, *hodie magno cum fructu legentium similis labor Varini Phavorini, qui æqualis fuit seculi Politiani, & quamquam apud Studiosos magnâ in gratiâ est, nihil tamen habet, qvod non hodie in aliis reperiatur.* Non contemnendum auctorem vocat Guilelmus Canterus lib. 2. Novar. Lect. capite 9.

ejus vocabularium prodicit Venetiis 1497.

17. §. *Iis qvæ circumferuntur Lexicis Græcolatinis primam imposuit manum monachus qvidam frater Johannes CRASTONUS, Placentinus, Carmelitanus, sed cum is jejunis expositionibus (in quibus vernaculo etiam sermone interdum, id est Italico, utitur) contentus fuisset, perfunctorie item constructiones verborum*

rum indicasset, nullos auctorum locos proferens ex quibus illa pariter, & significationes cognosci possent, multi postea certatim multa hinc inde sine ullo delectu atque judicio excerpta inserverunt. Donec tandem indoctis typographis de augenda Lexicorum mole inter se certantibus & praemia iis qui id praestarent proponentibus, quae jejunae, & (si ita loqui licet) macilentae antea erant expositiones, adeo pingues & crassae redditae sunt, ut in illis passim nihil aliud, quam Barbaricam faciem agnoscamus. Haec Henricus Stephanus in Epistola de suae typographiae statu, ubi varios ejusmodi βαρβαρολιξικογραφίας hallucinationes atque errores perstrinxit. Illi Lexicographorum vulgo penitus se exemit GUILIELMUS BUDÆUS renascentis Graecae literaturae alter quasi Camillus, quo elogio eum afficit Adr. Junius lib. 2. cap. 6. Animadversorum. Hic Commentarios linguae graecae edidit Coloniae A. 1530. ac tertia parte auctiores Paris. 1548 fol. ut alias editiones taceamus. In iis nullo neque alphabeti neq; alio ordine observato innumerarum vocum phrasiumq;, prout sub acumen styli venerant, proprias & varias significationes ex probatis auctoribus eruit atque exposuit, ut nihil illis elegantius, nihil doctius cogitari possit. Ac dicitur liber ille Salmasio veram ad eruditionem viam aperuisse, ut non vane auguratus sit Erasmus in Epistolis, observationes Budaei utriusque literaturae Studiosis plurimum utilitatis esse allaturas. De iisdem commentariis Angelus Caninius in Hellenismo: *Istius orationis formas, & breviter, quicquid ad graecanicas phrases attinet, doctissime persecutus est Budaeus in suis commentariis, quos nuper & emendate & eleganter magno studiorum bono excudit Badius. Eum librum comparare sibi debet quisquis serio graecari volet.* Alias notum est illud Buchanani:

Gallia quod Graeca est, quod Graecia Barbara non est
Utraque Budaeo debet utrumque suo.

Vide & encomium quod ei tribuit Lud. Vives ad librum 2. Augustini de C. D. cap. 17. Vitam ejus scripsit Ludovicus Regius

edidit eam Stephanus A. 1569. Almeloveenius cum dissertatione de Stephanorum vita recudi curavit Amstelod. 1683. 8.

gus quæ legitur cum scriptorum elencho apud Batesium & Leickerum. Adde qvæ habet Launojus parte 2. Gymnasii Navarræi p. 875. seqq. qui p. 882. dicit Budæum obiisse A. 1573. Calend. Septembr. ut falli necesse sit Nicolaum Reusnerum qvi in iconibus ejus obitum refert ad A. 1540.

18. §. Post Budæum HENRICUS STEPHANUS memorandus venit, qvi à patre Roberto inceptum Græcæ lingvæ thesaurum perfecit atqve propriis sumtibus è typographia sua prodire curavit Parisiis A. 1572. fol. IV. volum. Institutum tuum ipse exposuit in epistola de typographiæ suæ statu, & in præfatione thesauro præmissa. De eo vir doctissimus Olaus Borrichius in appendice de Lexicis p. 50. *Nemo merito suo laudatior Henrico Stephano, cujus Græcæ lingvæ thesaurus pæne instar omnium est solidus, cultus, locuples in qvo nisi tria desiderarentur, (primo: qvod extent non pauca in iis qui omnium manibus versantur auctoribus hic omissa, secundo, qvod multa id temporis Græcorum monumenta hodie in publico notissima nondum evulgata essent, tertio, qvod voces plurimæ plures admittant significationes, qvam qvæ in illo thesauro signatæ sint,) jam pervenisset ille Lexicographorum Græcorum labor ad usqve suos umbilicos.* Non diffitendum est ex hoc thesauro plerasque opes suas hausisse JOHANNEM SCAPULAM, adeo ut epitomator Stephani dicatur Voglero p. 68. introductionis universalis. E contrario ineluctabile damnum ex editione Scapulæ ad Stephanum redundavit, siquidem plurimi Scapulam sibi comparabant, relicto illo majoris molis thesauro, unde sumtuum qvos longe maximos Stephanus impenderat non levem jacturam facere coactus tantum non ad extremam paupertatem redigebatur. Commiseratione dignissimus est Stephanus, vir, si quisquam optime meritus de bonis literis & qvi meliorem omnino sortem merebat. Sed nec laude sua defraudandus Scapula qvem nemo negare potest utilissimam studiosis operam navasse. A plagii & doli crimine

eum.

eum absolvi posse negat Cl. Morhofius p. 83. Polyist. Sed vide, num eum excusent hæc verba quæ in præfatione ad Lectorem leguntur. *In hoc opere absolvendo cum plurimum operis contrivissem, - incidi forte in thesaurum ab Henrico Stephano constructum, cujus sola inscriptione lectâ existimavi me actum egisse. Verum cum thesaurum illum penitius introspectum præter alia multa à meo consilio discrepantia diverso etiam ab eo quem secutus fueram ordine scriptum fuisse re ipsâ cognovissem, idque amicorum oculis subjecissem, eorum judicio fretus multisque rationibus adductus hæc tandem in lucem prodire permuli. At vero ne thesauri illius Herculeo sane labore compositi auctorem bene de literis meritum debitâ laude fraudare, aut me alienis plumis venditare videar, quid illi acceptum feram, fatari non gravabor. Cum enim in eo thesauro tanquam in penu locupletissimo dictionum vim & proprietatem melius exprimi, significationes distinctius collocari, pluribus aptioribusque exemplis confirmari, diversas constructiones diligentius observari, denique quæ tum veteres tum recentiores lexicographi scholiastæ Grammatici & alii in Græcæ linguæ cognitione excellentes viri ad hoc argumentum pertinentia scripserunt, plenius contineri & accuratius quam in superioribus Lexicis collecta exhiberi comperissem, ea inde potissimum deprompta meo instituto accommodavi, consultis iis quoque auctoribus ex quibus illa in thesaurum fuerant relata. Paucissima ex pluribus exempla selegi, loquendi formulas non nisi magis necessarias apposui, ne liber in nimiam molem excrescens lectori tædium afferret, emtoremve pretii magnitudine deterreret. Si autem in eo thesauro multa vocabula adjecta sunt, quæ in aliis Lexicis desiderantur, ita etiam non pauca testimonio munita huc accessisse, si quis collationem instituat, sæpius deprehendet, atque adeo quam plurima adjici posse non est dissimulandum,* Pluries interim recusum est Scapulæ Lexicon. Etiam epitome ejus extat in 4. Indicem latinum addidit Laurentius,

Martius Palatinus. Varii adjecti sunt tractatus, uti Zwingeri de dialectis &c. In recentissima editione Meursii qvoqve Glossarium Græcobarbarum in compendium redactum subjicitur.

19. §. Inter majoris momenti Lexicographos merito suo ROBERTUS etiam CONSTANTINUS refertur, cujus Thesaurum linguæ græcæ, qvi A. 1562. & cum additionibus Porti aliorumqve A. 1592. Genevæ in fol. editus est, majori judicio qvàm Stephani collectum esse lego in Bibliographia Curiosa nescio cujus auctoris. Ingentem eruditionem ei tribuit Cæsar Scaliger, nisi qvod Scaliger filius sinistrum de eo judicium fert. p. 104. & 107. Epist. Vide & Colomesium in Gallia. Centenario major obiit A. 1605. Scripta ejus, qvæ non habet Witte, petas licet ex Teissierii parte 2. elogiorum.

20. §. Neqve negligendum Lexicon BASILEENSE, in quo CONRADI GESNERI, JOHANNIS HARTUNGI, ADRIANI JUNII, JOH. TUSANI, aliorumqve doctorum hominum labores confluxerunt. Bibliotheca quam dixi curiosa optimum Lexicon esse ait Venetiis sine nomine editum illud, opinor, notans, cui Asulanus præfationem præfixit. Magnam qvoque laudem meruit Æmilius Portus editione Lexici Pindarici, Dorici & Jonici, quorum primum Hanoviæ, A. 1606. in 8. reliqua ambo A. 1603. lucem publicam aspexerunt. Ex iis plurima in suum transtulisse se fatetur Cornelius Schrevelius. Nec minus Ludovici Coulonii Galli Lexicon Homericum celebratur editum Paris. 1653. ut de Seberi indice in Homerum, item de Matthiæ Pasoris Lexico Hesiodeo nihil dicam. Georgii Pasoris Lexicon in N. T. nemini ignotum esse potest, cujus optima editio est quam à ψευδεπιγράφοις Calvinianis repurgavit Joh. Philippus Oheimius Lipsiæ A. 1658. Concordantiæ qvoque quas in septuagintaviralem versionem Conradus Kircherus, & Erasmus Schmidius in Novum Testamentum adornavit, Lexici in vicem esse possunt,

possunt. Inter alia dictionaria Græca multis Crispini Lexicon arrisit, qvod tot editiones testantur. Sed & Garthius Lubinusque sæpius est recusus. Morelli thesaurus linguæ latinæ Græcæ & gallicæ ex emendatione Auberti prodiit Lugd. 1612. 4. Martinii quoque etymologicum Græcum laudatur excusum Bremæ 1625. 8. Junii Nomenclator raras inprimis & difficiles voces Græcas suggeret. Ad exemplum J. Gerlaci Wilhelmi & Johannis Lindneri, Newbauerus propediem Latino Græcus prodibit, qui optimæ erit notæ, græcis qvippe vocabulis adjectis à viro illius literaturæ apprime gnaro. Sed præ cæteris nominandus nobis est JOHANNES CASPAR SVICERUS qvi præter Lexicon elegantissimum Græcolatinum Tiguri 1683. 4. editum, ingens illud opus XX. annorum Thesaurum Ecclesiasticum publico dedit, qvo Græcas voces in Patribus occurrentes ab aliis fere Lexicographis neglectas collegit atqve expositit. Dicitur & prelo paratum habere Lexicon aliqvod Græcum universale cujus editioni felicia auspicia apprecamur.

21. §. Sub finem superioris anni è Belgio in nostras oras perlatum est Caroli du Fresne sed jam defuncti Glossarium longe copiosissimum mediæ Græcitatis. Vide de eo Acta Eruditorum p. 62. seqq. Anni 89. In præfatione quæ de causis Græcitatis corruptæ agit, laudantur Johannes Meursius, Nic. Rigaltius, Christophorus Germanus, Gerasinus Ulachus, Simon Portius, Bonav. Vulcanius & Carolus Annibal Fabrottus, qvod eundem ante se laborem susceperint voces mixobarbaras seqvioribus Græculis usurpatas explicandi. Meursii Glossarium Græcobarbarum prodiit Lugd. Bat. A. 1610. & 1800. vocibus auctius, A. 1414. 4. & supra diximus ejus epitomen novissimæ Scapulæ editioni subjunctam esse. Adhuc locupletius dare illud Meursius voluit, nisi fata interceſſissent. Rigaltii Glossarium παιδικὸν μιξοβαρβαρον Paris. 1601. 4. lucem publicam adspexit. Codex cui plurima manu suâ adscripse-

ratauctor, transiit in Heinsianam Bibliothecam. Hieronymum Germanum Panormitanum Vocabularium Italico Græco vernaculum Romæ A. 1622. emisisse, Alegambe testatur, unde id repetunt Kœnig in Bibl. & Witte in Biogr. De Christophoro Germano & Ulacho nihil jam succurrit. Simonis Portii Lexicon Græcobarbarum editum est Paris. 1635. 4. Ejus Grammatica Græca quæ ibidem A. 1638. 8. prodiit, Caroli du Fresne Glossario præmittitur. Bonaventuræ Vulcanio editio Glossariorum cum doctis notis debetur, qvod opus non abre thesaurum utriusqve linguæ appellavit. Fabrotti in aliquot sequiores Byzantinos scriptores glossaria in Actis Eruditorum l. c. memorantur, Petri item Possini & aliorum qvorundam in eodem studii genere labores ut iis recensendis jam supersedere possimus. Neque vero omnia Lexica Græca retulimus, imo vix potiora aut quæ magis nota essent. At nec aliud in animo nobis fuit. Qvamvis, si accuratissimum omnium catalogum texuissemus, tamen non magis de multitudine qvam de imperfectione Lexicorum cum Borrichio & Guil. Cantero lib. 3. Novar. Lectionum cap. 3. conqveri necesse haberemus.

22. §. Phrases Græcas ex Posselii Calligraphiâ & Billii locutionibus petere possumus. Ad carmen condendum utemur Synonymis Rulandi, uti ea auxit & emendavit Hœschelius. Etiam Dinneri Epitheta commode ad partes vocabimus nec non Michaëlem Neandrum de re poëticâ Græcorum.

Prosodias græcas concinnarunt Cœlemannus
& copiosior eo Labbeus.

GRATIA TIBI DOMINE JESU!

EMENDANDA.

N. 1. PRo *Poli* scribe *Constantinopoli*. semel dele vocẽ ΑΙΔΙΑΝΟΥ pro συνοι-
κοδομήσας scribe συνηθροισμένας. n. 2. in marg. pro κεχωρισμένα lege
κεχωρισμένα. n. 3. pro *exemplo ejus*. scribe *exemplo est*. n. 4. in margine
pro *Launi* lege *Launoji*. n. 5. pro *illam Polybii* lege *illius Polybii*. pro *aut Ta-*
naquillus lege *ait Tanaquillus*. pro *Grossiedierum* scribe *Grossetest*. n. 6. & a-
libi pro *Scavans* semper perperam excusum est *Scavans*. neqve voces
recte separatæ sunt ut *sibedias-ma Mc-ursius* &c. n. 8. pro θαυμάσαι scribe
θαυμάσιαι. n. 9. pro *Honerii* lege *Honorii*. pro *Ruetius* lege *Hue-*
tius. in margine pro πεῖγμαι & γελωτοποιον scribe πθίαμαι & γελατοποι-
όν. n. 15. pro *auctos* scribe *auctor*. n. 26. *Quas tum deinde* lege. *Qualis tum*
deinde. ante verba. *Epist. ad Andream Arnboldum* pone nomen *Rasnage*. n.
28. pro *Joh. Scaligeri* scribe *Joseph. Scaligeri* in margine pro: *Hank. 1. de*
Rom. scriptor. scribe 2. n. 29. pro *mancipia panca lectionis* scribe *pauca*. n. 30.
pro *Quam agra* lege *Quam agrè*. inter verba *jusserit*. *Index* dele punctum
pro: *legimus & nos eum olim* scribe *eum olim*. in margine pro *B. 10.* scribe
Gerb. Joh. pro *Jac. Sturnio* scribe *Sturmio*. n. 33. pro *bresbyteri* scribe *presby-*
teri. pro *confirmari* lege *confirmare*. inter verba, *videbor*, *bonis* dele comma,
sive incisum. n. 35. pro *Venetani* lege *Venetam*. n. 45. inter verba: *vir*, *doctus*
dele comma. n. 46. in margine pro *vigeri* lege *augeri*. n. 48. pro: *qvod Locum*
lege: *qvod Cocum*. n. 52. pro *ad auctor. operis* lege *ad auctarium operis*. pro
Petarius scribe *Petavius* n. 53. pro *genis* lege *genus*. n. 55. pro *Methodia* lege
Methodica. pro *Porano* lege *Sorano* n. 56. pro: *Marcellus qvidem in præfatione*
ad Theodosii Senioris filios scribendum est *in præf. ad suos filios*, uti ex n. 60.
patet. in eod. n. 56. pro *ex scriptoribus imputata* lege *imputanda*. in margine
pro: *ejus testimonio visi sunt*, scribe *usi sunt*. In indice auctorum Plinio Me-
dico allegatorum loco suo motus est *Cato*, qvi propterea ab initio lit eræ exem-
plo reliqvorum poni debet. in eod. indice pro *Plavitinis* lege *Plautinis*. n.
57. pro αὐτῆ lege ἀυτῇ. pro εἰπείρασα lege ἐπείρασα &c. n. 58. pro *Magdau-*
rensis scribe *Madaurensis*. in marg. pro *Marsilius Coagnatus* scribe *Cognatus*.
n. 60. pro *Marco Antonio* lege *M. Antonino* n. 61. pro χυρανίδων scribe κυρα-
νίδαν n. 62. pro μαθηματικὴν scribe μαθηματικήν. pro *observ.tione* scribe *ob-*
servatione. pro ἐνδόξῳ lege ἐυδόξῳ. pro ἀπαυάχαλο scribe ἀπαυάξατο. pro
libro primo amorum scribe *amorum*. in margine ante verba: *ad Aratum* ad-
de: *Throni*. n. 64. pro Σαυθίππης lege Ξαυθίππης pro ἀναγεισκον]Θ.
scribe ἀναγεινοσκον]Θ, pro Φασισκώψαι scribe Φασὶ σκῶψαι. pro *libelli*

lege

lege *libello*. n. 67. pro *pauca* lege *pauca* n. 69. pro *R. Kirichi* lege *Kimchi*. n. 73. pro *colligenda* scribe *colligendi* n. 74. pro *valationibus* lege *vacationibus*. n. 75. pro *συμαποποίᾳ* lege *σωμαπ ποίᾳ*. adde versum Ovidii.

Bis quinos feci legerent quo carmine versus
Æneidos totum corpus ut esse putent.

n. 80. pro *Agathemeris* lege *Agathemeris*. n. 87. pro *Presbyter* lege *presbyter* pro *Adegavensi* scribe *Andegavensi*. pro *judiciorum* scribe *judiciorum*. pro *Criticæ S.* lege *Criticæ Sacræ*. pro *R. de l'Isle.* scribe *R. de l'Isle*. pro Θαλάσιον scribe Θαλάσσιον pro *Arnholdo Borrio* lege *Bootio*. n. 88. pro *condendit* scribe *contendit*. n. 91. pro *emendationem* lege *emendatiorem*. pro *queritur* scribe *queritur*. n. 95. in margine pro *l. enotat* scribe *vel, notat*. n. 96. pro *ad A. 1517*. lege *ab A. 1517*. post *Georgius* adde nomen *Calistus* n. 98. lege *MSS. Arabicorum, quæ Cl. Golius*. pro *Abi Fergii* lege *Abu Fergii* n. 100. pro *erutorum* lege *eruditorum*. pro *aberravit*. scribe *aberrarit*. pro *in editis XX. libros* lege *libris*. in indice auctorum Geoponicis citatorum pro *Judæus* lege *Jobas* pro πίνθιμα scribe πίνθιμα. pro θρίθακα scribe θρίσακα.

In Exercitatione de Lexicis Gr. §. 2. pro *Wowenio* lege *Wowerio*. §. 6. pro *quæ duo* lege *quæ duo*. pro *Palephatus* scribe *Palæphatus* §. 8. pro μεταθέσις scribe μεταθέντες. dele *ejusque* ante *Spartianum* & pone ante *epitomatorem* §. 9. post verba *non ipsum Stephanum* adde: *habere*. post verba *commentariorum Eustathii* adde *in Homerum*. §. 11. pro *& quo* scribe *ex quo*. pro Θεσσαλιῶν lege Θεσσαλικῶν pro *qui modo hic* lege *si modo hic* §. 12. pro Φίλυρα Φυλὸν ἰχόν lege Φίλυρα ἰχόν pro στέφανος lege στέφανος pro *Gommelinum* scribe *Commelinum*. §. 17. pro *prodicit* lege *prodiit*.

Reliqua B. L. vel tollat vel toleret.

Ad num. 35. nota quod his diebus inciderim in Adagia Erasmi edita Ursellis A. 1603. in formâ octavâ majore, cui editioni vero auctoris nomine dissimulato Paul Manutii nomen præfixum est. In præfatione dicit filius

Aldus defuncto Parenti suo a Pontifice munus commissum fuisse
adagia emendandi. Sed propterea Erasmi nomen
reticeri non debebatur.